OTTONIS NATHANA

S. S. THEOLOGIÆ LIC

ET AD D. D. VDALRICI ET LEVIN

ÆDEM VERBI DIVINI

DE TERRORIBVS REC IN FAVCIBVS CONSTIT

AD MAXIME VE

QVÆ

ESAIÆ CAP. XXXV

EXTAT,

PERICOPEN

COMMENTATIO THEOLOG

IN QVA

VERBA PROPHETÆ EXQVISITIORI
COLLATIS VARIORVM INTERPRETVM
EBRÆO LVCVLENTER EXPONVNTVR, A
VARIIS ILLVSTRA

ADDITIS SIMVL SVB FIN
NECESSARII

HELMSTA

APVD CHRISTIAN. FRID

MDCCXXX

ANAELIS NICOLAI
Æ LICENTIATI
LEVINI MAGDEBVRGENSIVM
IVINI MINISTRI,

DE

REGIS HISKIÆ
VS MORTIS
TITVTI

VEXATAM,

VÆ

XVIII. COM. 10--13.

TAT,

COPEN,

OLOGICO-PHILOLOGICA,

QVA

TIORI ANALYSI RESOLVVNTVR,
RETVM SENTENTIIS, E FONTE
TVR, ANNOTATIONIBVSQVE
VSTRANTVR,

B FINEM INDICIBVS
SSARIIS.

STADII
FRIDERIC. WEYGAND
CXXXXIX.

laboranti, exhibuiſtis beneficia. Præſertim ab Illuſtris Veſtri ordinis Ædili, B. KREGELIO, *poſtea* Nobilis de STERNBACH *honore ac titulo, quod pro meritis ſuis præmium retulit, ornato in Thomanum receptus, cuncta a Vobis accepi, quæ ad victum & amictum erant neceſſaria, multaque gratia & benignitate ſemper a Vobis exceptus ac locupletatus fui. Hæc omnia ſane tantum abeſt, ut turpi oblivioni dederim, ut potius alta mente adhuc mihi fixa hæreant. Nec enim locorum diſtantia nec annorum ſeries beneficiorum Veſtrorum in me collatorum me-*

noriam, aut precum pro ſalute Veſtra fundendarum, quum gratæ mentis pro tanta humanitate teſtandæ non alia adhuc mihi fuerit occaſio, ardorem & pietatem cohibere potuit. Hanc tamen pii animi mei teſtificandi anſam, quæ ſe mihi, dum horis ſubſecivis aliquid de terroribus Regis Hiskiæ in faucibus mortis conſtituti *ad* ESA. *XXXVIII.* 10-13. *meditatus, lucubratiunculam iſtam qualemcunque typis committo, offert, e manibus dimittere non debui. Arripio iſtam occaſionem cupidiſſime; hancceque ſcriptiunculam Vobis in mentis devinctæ, & benefacto-*

rum

rum Vestrorum nunquam immemoris futuræ tesseram offero ac consecro. Opto & simul, velit Summum Numen Vos, Vestrasque splendidissimas familias cum omni Vestra gente & civibus lectissimis omnigena felicitate beare, ac in perennem Ecclesiæ & reipublicæ salutem non solum per hunc, quem jam inchoavimus, annum, sed & quam plurimos insecuturos sospites ac incolumes conservare, ut omnes ac singuli Magistratum, quem egregie ornatis, diu ac feliciter geratis & omnis LIPSIA, *Vobis ad ejus gubernacula sedentibus, tantis Moderatoribus lætetur, Vestrorum-*

 que

que togatorum meritorum fructibus, post sera fata ne quidem interituris apud posteros floreat. Valete absque intercapedine! Ego vero nullo non tempore permanebo

MAXIMORVM NOMINVM
VESTRORVM

Scribebam Magdeburgi Ipsis
Calendis Jan. An.
cIɔIɔCCXXXXIX.

OBSERVANTISSIMVS
OTTO NATHANAEL NICOLAI.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quod D. Apostolus *Petrus* II. *Epist.* III. 16. de Epistolis Paulinis asserit, in iis nempe quædam esse intellectu difficilia, id vere dictum esse attentus istarum scripturarum lector facillimo inveniet negotio. In mente quidem Petrum hic habuisse Epistolam Pauli ad Galatas scriptam, utpote in qua multa traduntur de divinitate Christi, de lege & Evangelio, de fide & operibus difficilia sane & obscura, videtur SALMERONI cum DIONYSIO CARTHVSIANO. Alii hæc verba Petri de quibusdam δυσνοήτοις in Epistolis Paulinis accipienda potissimum putant de Epistola ad Hebræos, alii de Epistola ad Romanos. Verum enim vero non de una duntaxat vel altera Pauli Epistola hic sermonem esse, sed ad omnes fere pertinere, cum in nulla earum omnia ita expedita & explicata sint, ut non interpretibus multum negotii facessant, ipsa experientia testatur. Quin imo idem

idem & de aliis libris biblicis valere, videbunt vel fugitivo oculo illos perlustrantes. Summo igitur jure hoc quoque dicendum erit de Prophetico Esaiæ scripto, cujus dignitatem, autoritatem, stili gravitatem & rerum præstantiam hic multis commendare post Homerum Iliada scribere foret. Interim non dissimulamus inter alia δυσνόητα *Esaiana* haud postremum illud nobis semper visum fuisse, quod *Cap.* XXXVIII. hujus Prophetiæ, illiusque v. 10--13. legitur; ubi terrores Hiskiæ in faucibus mortis constituti nobis indicantur. Cumque post omnem adhibitam operam & sciscitationem peculiarem in hæc verba commentationem neutiquam viderimus; eo lubentius nostras lucubrationes, admonentibus quibusdam viris ac Theologis summis, quibus hic labor operæ pretium videbatur, huic penso, quantum concatenati officii sacri labores permittebant, impendere animus fuit. Et hac quidem in tractatione id imprimis agitur, ut singula textus verba perpendantur, ea, qua fieri poterat, perspicuitate exponantur, loca parallela allegentur, notæ Philologicæ hinc inde inspergantur, & variæ ex capitibus Theologiæ illustrationes afferantur. Deo nostro, qui omnia opera nostra operatus est in nobis, pro hac sua nobis præstita ope devotissimas gratias agentes, Benevolum Lectorem, ut huic scriptiunculæ nostræ favere velit, decenter rogamus.

§. I.

§. I.

Omnium vitæ humanæ calamitatum & miseriarum, ut ordine & tempore extrema, sic difficultate & molestia princeps atque prima est mors temporalis. Est enim *ultima linea rerum, tendimus huc omnes, metam hanc properamus ad unam*, & nihil eâ mortales ferunt ægrius; ita, ut, qui ψεύστης est, & ὁ πατὴρ ψεύδους istud tamen nimis vere pronunciasse videatur, *pellem pro pelle, & quicquid homo habet*, armenta, numos, fundos, familiam, pro vita sua liberaliter profundit, horum jacturam, alias multo acerbissimam, si cum morte conferatur, parvi facit. JOB. II. 4. a) Hæc pestis non solum omnes in terra homines tacito pede sequitur, sed etiam istos mil-

le

a) R. SALOM. JARCHIO interprete: *membrum pro membro.* Sic facere solet aliquis, quando videt, gladium impingi capiti suo, ipse objicit brachium suum, (mavult enim brachii, quam vitæ jacturam facere.) Multo magis, quicquid fortunarum est viro, dabit pro vita sua, ut se protegat. Quocirca non angitur de pecunia sua expendenda, si illa vitam redimere possit suam. Paupertate ergo cum nil sit tristius, morte tamen tolerabilior judicatur, ex versione JOH. FRIDR. BREITHAUPTII p. 9.

le modis quotidie assequitur. Alium namque febribus exedit, alium opprimit præcipitio; sunt, quos consumit fames, sitisque extinguit; sunt, quos suffocant aquæ; non paucos perimunt flammæ; pereunt alii carnificis laqueo, rota, rogo; alii dentibus bestiarum; multos trucidat ferrum militare, sicariorum, digladiatorum in sua ipsorummet viscera sævientium; nec rara sunt funera eorum, quos venenum corripit. b) Et hinc omnino est, cur natura sua & injucundissima sit, & terribilis admodum nobis appareat, magnumque de ea cogitantibus incutiat metum. *Qua de causa* nunc a Bildado Schuchita *rex terrorum* appellatur JOB. XVIII. 4. c) nunc sub herbæ Colocynthidis figura sistitur. II. REG. IV. 38. d) Nunc ab ARISTOTELE tanquam φοβερῶν φοβερώτατον i. e.

b) Posses æternitatem nobili emporio comparare, quale olim Tyrum fuisse constat, imprimis ex JOACH. HILDEBRANDI *Antiqq. S.* p. 74. FRIDR. ADOLPH. LAMPII *Comment. in Psalm. XLV.* p. 452. & FULLERI *Miscell.* L. IV. C. 9. quorsum tempore nundinarum per diversissima itinera ab ortu ab occasu, a septentrione & austro confluunt, qui commercia exercent. Imprimis beata æternitas Hierosolymæ similis est, ad quam olim sub œconomia vetere legali, sacrorum solemnium causa, tribus per annum vicibus, omnes per Palæstinam Judæi, alii via propiore & tolerabiliore, alii remotiore & duriore contendebant, EXOD. XXIII. 14. 15. 16. 17. confer. JOH. LIGHTFOOTI *Opera* T. I. p. 725. Sic ad cœlestia illa Hierosolyma EBR. XII. 22. APOC. XXI. 2. non unus idemque, non mollis omnibus & jucundus, sed varius ex arbitri vitæ necisque summi sapientissima voluntate aditus patet, aliis placidus quasi per somnum, ut senibus & apoplecticis, aliis cruentus ut martyribus &c.

c) Vide B. SEB. SCHMIDII *Comment. in Jobum* p. 765. & CARL. DRELINCOURT Trost wider die Schrecken des Todes p. 1. seq.

d) Collegerant istam herbam nonnulli studiosi ex Schola Prophetæ Elisæ, quo tempore illos mira annonæ caritas urgebat, unde famem quodammodo sedarent; dum vero degustabant, quod apparaverant, alta voce clamabant: *Mors in olla!* sicuti enim Colocynthis fructus maxime amaros profert, teste DIOSCORIDE L. IV. *de materia med.* C. 178. Ita mors ipsa amara, fructusque ejus amarissimi SIR. XLI. 1. Quamquam si quis hancce formulam pro prædicatione causati, ut Logici appellant, accipere vellet, cujus hæc esset sententia: id, quod in olla existit, nobis causa mortis est, quale est illud ROM. VII. 13. Τo ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος i. e. id, quod in se bonum est, factum est mihi *causa mortis*, non quidem repugnarem.

i. e. omnium terribilium terribilissimum traditur. e) Non defuere quidem olim, nec desunt hodie, qui vitæ suæ prodigi, & venalem manu veluti sua circumferentes animam mortem se non metuere, sed illa delectari præ se ferunt, mortisque terrores vili pendere simulant, cum Agago rege Amaleki dicentes: *sic recedit amaritudo mortis!* I. SAM. XV. 32. Sed dulce bellum inexpertis est, &, si qui sunt, qui serio hanc mentem gerunt, illi profecto humanitatem exuisse videri possunt & obbrutuisse. Licet quoque hi terrores sacris superari possint consolationibus, imprimis ex morte Salvatoris provenientibus; mors tamen suos terrores retinet, f) quos pii etiam non raro sentiunt, cum ipse Filius Dei mortem horreat, calix, ut a se transeat, optans. MATTH. XXVII. 39. g) Præcipuum hujus rei exemplum nobis inter alia esse potest rex ille Hiskias, qui mortis metum, cui expositus fuerit hoc carmine Eucharistico indicat,

e) Lib. III. Ethic. C. 6.

f) Hinc SENECA Epist. 121. *Nullum animal ad vitam prodit sine metu mortis.*

g) Equidem hanc etiam constantiam, ut mortem despicerent, eamque ultro, si ita ferret occasio, arcesserent, sibi tribuebant *Stoici*, & *Zenonis* disciplina progressi. Hinc illorum placita satis magnifica, qualis esset sapiens, enata sunt: esse a perturbatione omni immunem sapientem, non dolere sapientem, quia dolor irrationalis animi sit contractio; sapientem se ipsum, si ita occasio ferat, e vita educere, si patriæ scilicet & amicorum id exigant emolumenta, auctore LAERTIO VII. 117. 118. VIII. 130. apud STANLEJUM *Histor. Philosoph.* P. VII. C. 15. p. 617. Et prostant exempla haud pauca nobilissimorum virorum ἀυτοχείρων, *Attici*, *Catonis Uticensis*, aliorum, hac opinione imbutorum. Verum uti multa alia de suo sapiente nimis paradoxe & supra fidem, supra vires etiam naturæ prædicarunt, ita quoque in hoc fuere nimii, quod illum metu mortis liberum pronunciarunt. Hoc enim, quid aliud fuit, quam hominem, qui homo non sit, fingere? Et si qui illorum mortem ultro arcessivere, non id fecerunt sine omni mortis metu, sed vel, ut gloriam venarentur, & nominis immortalitatem, vel, ut majori se malo, scilicet senectutis incommodis, aut morbi doloribus aut servituti subducerent, atque adeo malum minus majori, metum minorem majori præferrent; docente eodem LAERTIO VIII. 130. apud STANLEJUM l. c. p. 620. confer. celeb. JOH. GEORG. WALCHIUM in LACTANTIUM p. 721. & doct. CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUM in *actis Philosophicis* T. I. p. 730. T. II. p. 161.

Interprete quidem ESAIA *Cap.* XXXVIII. 10. 11. 12. 13.

v. 10. אֲנִי אָמַרְתִּי בִּדְמִי יָמַי אֵלֵכָה בְּשַׁעֲרֵי שְׁאוֹל
פֻּקַּדְתִּי יֶתֶר שְׁנוֹתָי׃ v. 11. אָמַרְתִּי לֹא־אֶרְאֶה יָהּ יָהּ בְּאֶרֶץ
הַחַיִּים לֹא־אַבִּיט אָדָם עוֹד עִם־יוֹשְׁבֵי חָדֶל׃ v. 12. דּוֹרִי
נִסַּע וְנִגְלָה מִנִּי כְּאֹהֶל רֹעִי קִפַּדְתִּי כָאֹרֵג חַיַּי מִדַּלָּה יְבַצְּעֵנִי
מִיּוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי׃ v. 13. שִׁוִּיתִי עַד־בֹּקֶר כָּאֲרִי כֵּן
יְשַׁבֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי מִיּוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי׃

Juxta verſionem B. SEB. SCHMIDII.

v. 10. *Ego dixeram; per exciſionem dierum mearum abiturus ſum ad portas inferni; viſitatus ſum quoad reſiduum annorum meorum.* v. 11. *Dixeram non videbo* JAH, JAH (inquam) *in terra viventium: non ſpectabo hominem amplius cum habitatoribus mundi.* v. 12. *Tempus meum profectum eſt, abiit a me, ſicut tentorium paſtoris: abſcidi ſicut textor vitam meam; a ſtamine abſcindet me, a die usque ad noctem conſummabis me.* v. 13. *Diſpoſui* (tamen) *me usque ad mane* (ſed) *ſicut leo, ita confringit omnia oſſa mea, a die usque ad noctem conſummabis me.*

& B. LUTHERI.

v. 10. Ich ſprach: Nun muß ich zur Höllen Pforten fahren, da meine Zeit aus war, da ich gedachte noch länger zu leben. v. 11. Ich ſprach: Nun muß ich nicht mehr ſehen den HERRN, den HERRN in Lande der Lebendigen, nun muß ich nicht mehr ſchauen die Menſchen, bey denen die ihre Zeit leben. v. 12. Meine Zeit iſt dahin, und vor mir aufgeräumet wie eines Hirten Hütte, und reiſſe mein Leben ab, wie ein Weber. Er ſauget mich dürre aus, du machſts mit mir

ein

ein Ende den Tag vor Abend. v. 13. Ich dachte: möchte ich bis morgen leben: Aber er zerbrach mir alle meine Gebeine wie ein Löwe. Denn du machst es mit mir aus, den Tag vor Abend.

Quibus verbis regiis aliquantisper inhæsuri, *terrores Hiskiæ in faucibus mortis constituti*, curatius paulo perlustrabimus. h)

§. II.

Subjectum hujus terroris, ut cum scholis loquar, est Hiskias, de quo primo loco dicendum. Erat ille rex Judaicus, a pessimo quidem patre, Ahazo scilicet, natus, i) sed optimus patris successor, k) & post tot reges Davidis progenitoris sui strenuus imitator. In genere

h) Verba, quæ JOH. PAPPUS ad hos versus habet *Comment. in Esaiam* p. 44. hæc sunt: Scripturæ hujus, sive cantici partes duæ sunt, quarum prior illustri *ὑποτυπώσει* describit magnitudinem periculi in quo versatus erat rex: altera gratias agit Domino pro liberatione. Non autem de morbo tantum, aut metu mortis conqueritur pius rex, sed non obscure ostendit, se gravissimis quoque tentationibus dubitationis de gratia petitum fuisse, quia morbum hunc interpretabatur signum esse iræ divinæ & abjectionis. Quanquam autem de afflictionibus nostris decet nos longe aliter judicare: tamen hoc loco ostenditur, quid tentatio spiritualis efficiat.

i) Multi quidem hunc Hiskiam non naturalem sed adoptivum tantum filium fuisse credunt, idque eam ob causam, quia vix probabile sit, prolem patre non nisi XI. aut XII. annis juniorem fuisse, quod tamen de Hiskia affirmari videmus II. PARALIP. XXVIII. 1. & *Cap.* XXIX. 1. Ast vero, cum scriptura eum expresse filium appellet *l. l. c. c.* & MATH. I. 9. maluerunt alii cum D. HIERONYMO ad divinum miraculum & naturæ insolitas vires referre, quod a patre duodecenni genitus fuerit. *vid. Compendium Hist. Ecclesiast. Gothanum L. I. Cap. II. Sect. III.* p. 260. Quod enim *τῷ ἄῤῥενι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἐν τοῖς ἔτεσι τοῖς δὶς ἑπτὰ τετελεσμένοις* i. e. masculo ut plurimum annis bis septem completis evenire ait Philosophus *περὶ ζώων ἱστορίας*, L. VII. C. I. *in Opp. edit. Paris.* 1654. T. II. p. 362. nempe *φέρειν σπέρμα*, quidni idem, Deo imprimis naturam forte elevante, a regio puero, succulento & laute pasto, biennio citius fieri poterat? Vt taceam, quod plurimi istius temporis reges decimum quintum aut sextum annum agentes matrimonium inierint, v. g. Joramus, Ammonus, Josias &c. quare etiam ipsos non adeo multos annos attigisse quidam putant. vid. JOH. JAC. SCHMIDS biblischer *Historicus* p. 228.

k) Confer. WILHELM. SCHIKARDI *jus regium Hebræorum Cap. VI.* p. 444

nere pietatem ejus teſtatus eſt Spiritus S. hiſce verbis: *fecit bonum & rectum, & veritatem coram* JEHOVAH *Deo ſuo; ita ut in omni opere, quod incepit, in miniſterio domus Dei, & in lege & in præcepto quærendo Deum ſuum, toto corde ſuo fecerit.* II. REG. XXI. 20. 21. In ſpecie ſanctos ſuos mores ipſe probavit primo ſtatim regiminis ſui anno, imo menſe, &c, ut multis videtur, die, verum Dei cultum per edicta publica renovando, reſerato templo, ſordibusque l) inde exterminatis, idolis nempe, ſtatuis, aris, imo ipſo ſerpente æneo a Moſe olim erecto, nunc idololatriæ a nonnullis adhibito m) ſacrificia inſtaurando, paſchatos feſtum celebrando &c. Quæ & ſimilia non tantum in regni ſui finibus ordinavit, ſed etiam Iſraëlitas ſub Hoſeæ ſceptro degentes ad eadem ſacra invitavit, unde multi admodum pio zelo incenſi ad patriam veramque religionem revocabantur. *coll.* II. PARALIP. XXIX. XXX. XXXI. Pietatem hanc ornabat mira Deus felicitate; laudantur enim religioſiſſimi hujus regis divitiæ, theſauri, argentum, aurum, lapides pretioſi &c. II. PARALIP. XXXI. 27. ſeqq. Præterea in bellis cum hoſtibus ſuis geſtis proſperrima utebatur fortuna. *Palæſtinos* enim duobus præliis vicit, *Philiſtæos* proſtravit, *Aſſyriorum* regem, negato ipſi tributo ac obſe-

l) Quod in fontibus eſt, *ejicite* הַנִּדָּה e templo, (ſic enim alloquitur ſacerdotes,) deſumtum eſt a ſordibus menſtruis, quas ſummæ abominationi eſſe, & diligentiſſime vitari Deus ſerio præceperat. Eſtque hoc *παροιμιῶδες*, & proverbii inſtar in ſacro codice, quo is utitur rem maximopere deteſtandam indicaturus, ut EZECH. XXXVI. 17. ubi Deus mores Judæorum ſibi eſſe ait, inſtar immunditiei fœminæ כַּנִּדָּה quam a ſe longe removere oportebat maritum. *vid.* JARCHIUM ad II. *Paralip.* XXIX. 5. eundemque & KIMCHIUM *ad Ezechielis locum.*

m) Quo tempore hæc idololatria cœperit, prolixe habet PETRUS JURIEU *Hiſtoir. critic. dogm. & cult.* P. IV. *Tract. VIII. Cap. III.* p. 740. *ſeqq.* &, quem BREITHAUPTIUS *notis* ad JARCHIUM II. *Reg.* XVIII. p. 405. allegat, *Tractatus Talmudicus* AVODA SARA *fol.* 44. & tr. *Cholin* f. 6. videri poterit.

obſequio in fugam dedit, &c. multisque aliis modis expertus eſt, quod Deus benefaciat timentibus ſe. Aſt quoque expertus eſt fatorum viciſſitudines, nullumque hominum ſtatum tam eſſe eximium, nullamve illorum conditionem tam eſſe opimam, quæ non variis ſubinde interpelletur adverſis prematurque calamitatibus. Hiskias enim in ſummo honoris ac fortunarum faſtigio conſtitutus in morbum repente incidebat graviſſimum, certiſſimæ mortis, niſi ſpecialis Dei interceſſiſſet gratia, nuncium.

§. III.

In diebus illis ægrotavit Hiskias. His verbis indicat Spiritus S. & ESA. XXXVIII. 1. & II. REG. XX. 1. *tempus* hujus morbi, quale vero illud fuerit, minime convenit inter interpretes. n) In eo quidem fere omnes conſentiunt, quod hic morbus in annum decimum quartum regni Hiskiæ inciderit, eumque ipſum, quo Rex *Sennacheribus* cum milite *Aſſyrio* in *Judæam* irruptionem fecerit. An vero durante adhuc bello, an poſt fugam & cædem *Sennacheribi?* in diverſas autores abeunt ſententias. Quidam o) militant pro illa ſententia, qua ante fugam & cædem hoc eveniſſe contenditur; hac imprimis inducti ratione, quia Deus cum prolongatione vitæ regi noſtro ſimul etiam liberationem a manu regis *Aſſyriorum* promiſerit, II. REG. XX. 8. Cum vero tantum abſit, ut per iſtam cladem & internecionem *Sennacheribi Aſſyriorum* robur prorſus proſtratum eſſet, nec quicquam amplius contra Hiskiam ejusque ſubditos valerent, ut potius aliquanto

n) Judæorum de tempore morbi Hiskiæ diſcrepantes ſententias qui ſcire avet, eum BREITHAUPTIUS ad obſervationes JOH. MAIERI p. 1126. remittit.

o) VARENIUS in *Comment. ad h. l. Concluſ.* 5-8. p. 699. CASP. SANCTIUS *in Comment. ad Eſaiam* p. 1594.

quanto post vires redintegrare novumque exercitum conficere potuerint, quo *Judæam* iterum invaderent, ac *Hierosolymam* oppugnarent; subscribendum potius illorum asserto esse videtur, qui p) mox post solutam obsidionem & depulsum *Sennacheribum*, cum Hiskias divino illo beneficio maxime deberet gaudere, & triumphare, eum hocce morbo laborasse existimant. Si enim belli & obsidionis tempore Hiskias ægrotasset, id sane omissum non fuisset a Propheta, reliquas obsessionis circumstantias, & quæ circa eam acciderunt, tam accurate observante. Vt taceam, quod ESAIAS Cap. XXXVII. indicaverit, Hiskiam durante adhuc obsidione legatos misisse, in domum JEHOVÆ ascendisse, literas blasphemas *Sennacheribi* coram Domino expandisse, Esaiam Prophetam accersivisse, quibus omnibus vacare homini graviter ægrotanti & decumbenti neutiquam licet. q) Neque etiam omnino negligendum erit argumentum ab ordine narrationis historicæ desumtum; quandoquidem valde est probabile, res eodem ordine esse gestas, quo ab auctoribus recensentur, nisi gravis obstet ratio, quæ hinc

p) e. g. B. SEB. SCHMIDIUS *in Comment. Es.* p. 329. JOSEPHUS L. III. *Antiq. Judaic.* C. 3. JOH. FRANC. BUDDÆI *Hist. Eccl. V.T. P. II.* p. 546. VINC. SCHMUCCIUS *in Comment. Esa.* p. 596.

q) Satis audacter hoc tempus definire studet R. SALOMO II. Reg. XX. 1. & idem repetit ad Esa. XXXVIII. 1. tribus, dicens, diebus ante cædem Sennacheribi ægrotasse Hiskiam, & tertia ipsa die, qua Hiskias abiverit in domum Dei, cæsum esse Sennacheribum, imo, quod majus est, illum diem, quo cæsus Sennacheribi exercitus fuerit, festum paschatis fuisse, ait. Non tamen is primus hujus commenti auctor est, sed hausit illud ex Seder Olam C. 23. ad quem & ad MEIERI ad illud notas lectorem remittit BREITHAUPTIUS in *observationibus suis ad* JARCHII *locum* p. 413. n. 2. ubi etiam alios auctores hujus asserti citat. Est autem is Seder Olam, quem *ordinem mundi* vulgo interpretantur, liber Chronologico-Historicus, apud Judæos tanto in pretio, ut alterum illorum, nempe majorem (siquidem duplex est ille Seder alter Rabba, sive major, alter Suta sive minor) canonicis propemodum libris æquiparent, utpote ab Esra magna ex parte conscriptum; de quo videatur BUXTORFII *bibliotheca rabbinica* p. 149. & prolixius WOLFIUS in *Bibliotheca hebræa* P. IV. p. 1029.

hinc discedere cogat, & de hysterologia cogitandi necessitatem imponat, quæ tamen hoc loco nulla est. r)

§. IV.

Et hoc quidem de morbi tempore. Ad *caussam* istius morbi porro quod spectat, curiose admodum nonnulli indagare illam conati sunt. *Judæi* pro sua judicandi libidine caussam ejus dicunt fuisse, quod uxorem ducere, & ad conservandam Davidis posteritatem filium gignere distulerit. s) En vero incertam maxime & dubiam rationem! Vnde enim sciunt, quod serius in matrimonium acceperit Hiskias uxorem, & ex ea post morbum demum liberos susceperit? Genuit quidem post sanitatem recuperatam Manassem, sed ideo iste non fuit primogenitus, & fortassis priores natu non amplius superstites fuerunt, unde post mortem regis Patris & fratrum thronum paternum ascendebat *Manasse*. Ponamus autem ὀψίγαμον Hiskiam fuisse, quis ergo hoc ipsi verteret vitio? Neque enim lex ad unum omnibus matrimonium absolute injun-

r) Hanc hysterologiam, quæ est, cum in narratione aliqua prius facta postponuntur, non solum agnoscunt *Judæi* teste BVXTORFFIO *in Lex. Talm. rad.* אחר p. 62. sed etiam nostrates interpretes eandem multis in locis admittunt, de qua videatur HOTTINGERI *thesaurus Philologicus L. I. Cap. II.* & SALOM. GLASSII *Philolog. s. in Grammat. L. IV. Tract. II.* p. 754. qui ex eodem hoc capite ES. XXXVIII. exemplum adducit, quando v. 21. 22. per ejusmodi hysterosin de medicamine ægrotanti Hiskiæ adhibito, deque ægrotantis ad hoc interrogatione memoratur: quæ antegressa sunt miraculi divini promissionem & præstationem, uti & carmen nostrum eucharisticum, sanati jam regis, in hoc capite compositum. Verum ad illam ut hoc loco, ubi de tempore morbi Hiskiæ disputatur, abeatur, an necesse sit, dubitari potest.

s) Vid. JARCHIVM *ad Esa.* XXXVIII. 1. *ex versione & cum notis* BREITHAVPTII p. 216. Et provocant hujus sententiæ patroni ad id, quod Esaias ad ægrotum regem missus, edicere illi jussus fuerit: *Præcipe Domui tua*, quasi dixisset: famulis tuis, non regno, uxori, liberis tuis, cum nec regni hæredem nec uxorem nec liberos habeas! quibus verbis κατὰ διάνοιαν regis cœlibatum propheta arguisse, illis videtur. vid. ABARBENEL *Comment. super Proph. posteriores* p. 58.

injungit, t) neque etiam docet, quoto ætatis anno illud ineundum ſit. Maturat hic, differt ille conjugium; nam ſecundum Pauli mentem: *ſua quisque dote prædictus eſt a Deo; alius aliter.* I. COR. VII. 7. u) Cæterum rex tot tantisque periculis & negotiis ab initio regni ſui agitatus, per

t) Diſſentiunt *Judæi*, abſolutam matrimonii neceſſitatem inde probantes, quod omnibus dictum ſit: פְּרוּ וּרְבוּ *creſcite & multiplicamini* GEN. I. 22. Hinc ajunt: quicunque *Judæus* non liberorum fructificatione & multiplicatione gaudet, perinde eſt, ac ſi effunderet ſanguinem quia interdictum de effundendo ſanguine GEN. IX. 6. cum mandato, *creſcite & multiplicamini* v. 7. immediate conjungatur. Vide BUXTORFII *Lex Talm.* p. 1803. Vnde etiam ad nuptias properant, apud SURENHUSIUM in *Opere Miſchnico* P. IV. p. 482. filius quinque annorum ad biblia &c. filius octodecim annorum ad *Chuppam* ſ. *ad nuptias.* Et poſt peractam circumciſionem adſtantes ita orant. Vt tu, o Deus, hunc parvulum ingredi feciſti in fœdus (Abrahami) ſic etiam ingredi fac eum in legem Moſis, in *Chuppam* ſ. matrimonium, & in bona opera. vide BUXTORFII *Synagog. Judaic.* C. IV. p. 99.

u) Suadet quidem ſcriptura matrimonium, quando Deus GEN. II. 18 dixerat: *Non convenit Adamum eſſe ſolum; faciam ei adjumentum accommodatum.* Sed univerſalem ejus haud imponit neceſſitatem. legatur I. COR. VII. *tot.* Hoc eſt, quod ajunt Theologi, diſtinguentes inter mandatum *ſpeciei & exercitii.* Mandavit Deus & inſtituit matrimonium *ſpecifice*, & ita, ut, qui illi operam eſt navaturus, hac ratione, nec alia, nempe ut ſint unus mas & una fœmina in carnem unam; non tamen, ut quisque neceſſario exerceat, & actu ducat; ſiquidem prægnantes ob cauſas exercitium hujus divini inſtituti omitti, aut ad tempus aliud & commodius differri poſſe ex Paulo diſcimus, *l. c.* Vbi tamen ſpurias cauſas a legitimis, fictas a veris pie & ſobrie diſtinguendas eſſe, res ipſa loquitur. Hinc non probantur Pontificii, qui ſub ſpecie ſanctitatis totum ordinem clericorum, in *majoribus*, ut vocant, *ordinibus* conſtitutorum a matrimonio arcent, vid. B. JOH. GERHARDI *Loc. Theol. Tom.* VI. p. 520. GEORGII ALBRECHTI *Hierarchia Eccleſiaſtica* p. 507. CHRISTOPH. SCHEIBLERI Glaubens Probe p. 317. & B. HEINR. MÜLLERI *patrocinium conjugii Clericorum ex oriente & occidente. Roſt.* 1665. 4. Nec audiendæ ſunt dehortationes gentilium a conjugio, quæ multæ in eorum ſcriptis occurrunt, & ut plurimum petitæ ſunt ex moleſtiis & difficultatibus, quæ illud vitæ genus comitantur, ex moribus fœminarum, ex ſpecie ſervitutis, in quam maritus ſe conjiciat &c. Sic DIOGENES ab omni ætate removebat conjugium: Μηδέποτε τῷ νέῳ τῷ δὲ γέροντι μήδη πώποτε, i. e. *Juveni nondum ducendam eſſe uxorem, ſeni vero nunquam.* LIPSIUS *Cent. I. Epiſt.* 31. *Thales* in juventute interrogatus, cur matrimonium non contraheret? reſpondit, quod tempus nondum adſit; in ſenectute autem iterum interrogatus, rationem reddidit, quod tempus jam abſit. ALEX. AB ALEXAND. L. IV. D. *Genial.* Cap. 8.

per multa hæc impedimenta fortaſſis in res conjugales nec cogitationes conferre, nec de iis conſilia capere potuit. Videamus modo quam gravibus negotiis hactenus fuerit implicitus, & res ipſa loquetur. Vix viginti quinque annorum juvenis regnum capeſſebat; primis deinde imperii annis Eccleſiam, patris impietate fœdatam, maximis laboribus, ac, velut Augiæ ſtabulum herculeo conatu purgandam curabat; poſtea ſequebatur triſtis vicini regni Iſraelitici interitus, inde bellum cum *Philiſtæis* gerebat; paulo poſt cum *Aſſyriis* contentiones habebat, quæ tandem in durum & luctuoſum bellum eruperunt. Rebus igitur adeo afflictis, & quorſum evaderent, incertis, quis damnaret prudentem regiarum nuptiarum procraſtinationem, ex ſpe meliorum temporum ſine dubio ortam? x) Alii cauſam hujus morbi ingrato animo Hiskiæ, qui pro liberatione ab *Aſſyriis* & victoria ab hoſtibus deportata debitas Deo gratias egiſſe neutiquam legatur, ſed potius rebus adeo proſpere ſuccedentibus criſtas erigere cœpiſſe, tribuunt. y) Quamvis autem elatæ mentis ſigna per theſaurorum oſtentationem poſtea quam clariſſima dederit legatis *Babyloniorum*, II. PARALIP. XXXII. 26. ſeq. in præſenti tamen eum hoc crimine ingratæ mentis abſoluit JOSEPHUS z) dicens: *Ezekias præter omnem opinionem liberatus periculo, vota pro incolumitate Deo perſolvit, quandoquidem manifeſtum erat hujus ſolius ope hoſtem partim peſte deletum, partim metu ſimilis exitii ab oppugnatione urbis abſterritum. Dumque totus circa Dei cultum occupatur, paulo poſt in gravem morbum incidit, ita ut a medicis pro deplorato haberetur, nec amici quidquam melius ſperarent. Judæi* veteres cum JOSEPHO faciunt, Hiskiam grati hominis partibus recte

B 2 defun-

x) SEB. SCHMIDIUS *l. c.*
y) BUDDEUS *l. c.*
z) *Lib. X. Antiq.* C. III.

defunctum contendentes, siquidem, cum tertio post recuperatam sanitatem die in templum Dei ascendisset, pro utroque beneficio, & liberatæ ab obsidione urbis, & averruncati mortis periculi eum litasse perhibent. Verba ABARBANELIS de hac *Rabbinorum* sententia hæc sunt: *est sapientum nostrorum piæ memoriæ hæc opinio, quod in unum tempus & morbus Hiskiæ & adventus Sennacheribi inciderit; & quod eodem die tertio, quo ascenderit in templum etiam strages Sennacheribi edita fuerit, & ex eo, quod Deus promissionem de prolonganda Hiskiæ vita v. 5. cum urbe protegenda v. 6. conjungit, inferunt nostri sapientes, quod precatio ejus etiam pro duabus illis rebus fusa fuerit.* Hactenus ABARBANEL a) quid ergo probabilius, imo quid certius, Hiskiam duplex beneficium orantem, eodemque potitum, etiam pro utroque gratias egisse?

§. V.

Nobis quid de hac causa videatur si dicendum esset, tacente scriptura, nullam specialem definire audemus, cum S. Paulo facientes, *quis cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* ROM. XI. 34. Acquiescimus potius in providentia, voluntate, gloria & bonitate Dei. Ille enim est, quem omnium creaturarum suarum curam gerere etiam sana ratio cognoscit. b) Ille est, *in quo vivimus, movemur & sumus* ACT. XVII. 28. Ille est, qui suos mirabiliter ducit, PSALM. IV. 4. c) & ad quas mirabiles Dei vias recte pertinent acuti morbi, piis etiam

a) *l. c. p. 58.*

b) Vide ISAAC FAUSTII *disp. de providentia Dei, quatenus illa ex lumine naturæ innotescit. Argent.* 1685. TOB. PFANNERI *Systema Theologiæ gentilis purioris* Cap. VIII. p. 207. seqq. BUDDEI *Instit. Theol. dogm.* L. II. C. 2. §. 43. 44. *p. m.* 570. & PHIL. MORNÆUS *de veritate religionis Christianæ* Cap. X. & XI. p. 248. seqq.

c) Vide B. HEINR. KLAUSINGII *Program. inaug. de discrimine viarum Dei & hominum ex Esa.* LV. 8.

etiam immissi, qualis erat nostri Hiskiæ. d) Sed & gloriæ divinæ ratio in hoc morbo habenda est. Hac enim occasione gloriam suæ virtutis & potentiæ, qua *morte afficere & in vitam revocare, demittere in sepulcrum & educere potest.* I. SAM. II. 6. gloriam suæ bonitatis, qua afflictorum ex animo miseretur; gloriam veritatis suæ, qua auxilium invocantibus se promisit, Deus volebat demonstratam. Sicut ergo cæcus ille tempore Christi, in his terris commorantis, natus erat, *ut opera Dei manifesta fierent in eo* JOH. IX. 3. e) ita Hiskias jam ægrotabat, ut novo miraculo Deus glorificaretur. Dandum denique hic multum est bonitati divinæ, qui hoc morbo omnem illum usum apud Hiskiam intendebat, quem morbi piis præstare solent. Poterat itaque rex lecto affixus commonefieri peccatorum, quibus nos omnes sumus obnoxii, JAC. III. 2. quorum reliquias & ipse adhuc in se deprehendebat, & unde omnes morbi infelicissimam suam originem trahunt; poterat de mortalitate sua ut cogitaret excitari; morbi enim quid aliud sunt, quam mortis nuncii

d) Huc spectat, quod de jure figuli in argillam Deus JEREM. XVIII 5. 6. disserit, sibique tribuit, in quem locum extat B. ADAMI RECHENBERGII *disputatio*, qua sistit *comparationem Juris Dei in Domum Israel, & figuli in massam*, & ANDR. TÖPFFERI *disp. de eodem loco eademque materia Wittenb. habita* 1695. qui duumviri scopum istius parabolæ hunc faciunt: Populus nempe Judaicus nimium superbiebat felicitate & potentia sua, fretus templo & sacris suis, quæ pro infallibilibus, ac perpetuis gratiæ divinæ signis habebat, ut ergo damnandam hanc opinionem mentibus ipsorum evelleret Propheta, demonstrat ipsis, quod Deus citra injuriam hanc felicitatem in servitutem mutare queat; eumque in finem comparationem hanc instituebat, ostensurus, Deum eadem ratione cum domo Israël procedere posse, ut figulus cum luto. Quemadmodum enim hic vasa pro lubitu format, vel formatione plane indigna abjicit, ita & Deo integrum esse, populum immorigerum ceu vasa inepta ac distorta contundere, abjicere & calamitatibus relinquere.

e) De quo egregie differentem lege THOM. ITTIGIUM *in disp. de causa calamitatis in homine a nativitate cœco. Lips.* 1698. & B. RECHENBERGIUM *in disputatione modo citata,* locum hunc contra Hobbesium, quod Deus etiam homines absque omni peccati reatu punire posset, vindicantem §. 5.

nuncii? Domus desidens ruinæ proxima est, procella oriens navi interitum minatur, sic ægritudo homini mortem annunciat; poterat humilitatis admoneri; plerumque qui perpetua valetudine utuntur, ad honores evehuntur, omnium rerum copia abundant, vix ac ne vix quidem cum *Abrahamo cinerem* ac *pulverem* se profitentur GEN. XVIII. 27. morbi e contrario & alia calamitatis genera faciunt, ut in nos ipsos descendamus, atque cogitemus: *Qui rex est hodie, cras moritur.* SIR. X. 11. quilibet ex ima plebe non melior, a mortis insultibus non tutior, juxta illud Poëtæ: *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.* Vt taceam, quod fidem Hiskiæ per hunc casum exploratam & confirmatam, ardorem precandi accensum, vitam emendandi propositum, ingenuam peccatorum cognitionem humilemque eorum, confessionem hinc promotam esse, eventus ipse testetur ac doceat f)

§. VI.

f) Equidem in precibus ejus nulla sunt agnitionis & deprecationis vestigia, cum in iis potius ad suam probitatem & cordis integritatem confidenter provocet. Sed salva res est. Potuit enim sibi conscius fuisse, quod illi suæ bonæ menti multi tamen nævi adhæserint, quodque coram Deo nihil adhuc valuerit sua justitia, utpote admodum imperfecta, & ob hanc imperfectionem, quæ etiam in sinceris animis locum in hac mortalitate obtinet, divinam hanc morbi animadversionem promerita; aut si forte non fuit conscius, nunc de culpa illa sua, hactenus ignota, per istum morbum veluti ut subjectum aliquod calcar commoneri potuit. Observant Judæi, Deum hanc precandi formulam, in qua sibi Hiskias laudem sanctitatis tribuerit, non omnino probasse. Hinc factum esse, ut in responsione per Esaiam edici ei præceperit, se velle liberare & protegere urbem, non propter ipsum Hiskiam, sed *propter se & propter Davidem servum suum*, allegantque exemplum contrarium Mosis, qui pro Judæis intercesserit propter Abrahamum, Isaacum & Jacobum, EXOD. XXXII. 13 & propter hanc suam modestiam laudem hanc retulerit, quod ipse Moses ruinam populi impediverit. PSALM. CVI. 20. Hinc quod quis suæ pietati tribuat, hoc scripturam tribuere alienæ, & quod quis alienæ, hoc tribuere ipsimet, id quod hoc Hiskiæ & Mosis exemplo jam adducto probatur. Imprimis qui juxta §. IV. causam hujus morbi cœlibatum Hiskiæ esse dicunt, putant, ista verba, quibus *Hiskias veritatem & cor integrum* profitetur, non eo ab illo dicta fuisse, ut morum & vitæ innotiam

§. VI.

Ad genus tandem morbi quod attinet, iterum in diversas partes abeunt non solum sacri codicis interpretes, sed & artis salutaris periti. g) Quidam Pleuritidem hunc morbum fuisse conjiciunt. h) Alii, Bubone pestilentiali i) Hiskiam laborasse perhibent, ad sanandi remedium imprimis provocantes, cataplasma nempe ficuum juxta v. 21. jussu divino a Propheta applicatum, utpote cui Medicinæ in ejusmodi morbis pestiferis multam virtutem tribuit DIEMERBROECK asserens; solas ficus coctas & pistatas, cum pauxillo butyri veteris & theriacæ mistas, felici cum eventu applicatas esse *in peste Noviomagensi.* k) Idem testatur DIOSCORIDES l) docens: quod ficus optimam opem medicam afferant iis, qui vel scorpionum ictu vel canum morsu vel quacunque re pestifera læsi fuerint, si quidem in plagam instillentur. Licet vero hæc fortassis ita sint, nondum tamen peste infectus fuit rex noster, præsertim cum hoc tempore pestem esse grassatam nullibi legamus. Erat enim hic morbus non epidemicus & publicus, idque tanto magis, si, quod quidam volunt, non naturalis sed peculiari Dei providentia immissus fuisset; quod improbabile non est, quæcunque demum causa ejus fuerit, aut si ex nimia animi ægrimonia & terrore, quem ipsi belli denunciatio per

centiam profiteretur, sed eum illis exposuisse, qua mente cœlibatui adhuc vacaverit, nempe non factum hoc a se fuisse mala mente, & animo legi de propaganda sobole adverso, sed bono & laudabili consilio, ne impium Manassem aut alios reprobos natos generaret.

g) V, g. PETRUS HISPANUS, qui postea ex Episcopo Tusculano factus est Papa nomine JOHANNES XXI. in *Thesauro pauperum Cap.* XXVI.

h) Vide *Anglicanas annotationes* in h. l.

i) Quem CAROL. MUSITANUS *Oper. Tom. II.* de tumoribus *Cap.* VIII. p. 12. ita describit: Antrax s. Carbunculus, ignis persicus, est tumor cum inflammatione malignus, valde dolens & nausea appetitus dejectione, tremori palpitatione cordis & proinde animi deliquio frequenti & delirio afficiens.

k) L. III. *de Peste Cap.* XII. §. 12.

l) *L. I. c.* 138.

per Rabſacen facta incuſſerat, ortus, & initio paulo mitior quidem, ut qui non impediret ægrum, in domum Dei aſcendere, & miſſas a Rabſace literas ibi coram Domino explicare, & preces fundere; poſt reditum tamen auctior factus fuiſſet. Peſte autem non unus ſed multi ſimul laborant. Magis ergo arridet conjectura eorum, qui cum THOMA BARTHOLINO m) Anginam ſive ſic dictam **die Halsbräune**, ſubfuiſſe credunt. Dicitur iſte morbus, qui eſt ſtaſis ſanguinis inflammatoria circa fauces & vicinas illarum partes collecta n) a græcorum *ἄγχω præfoco, ſtrangulo*, vel a latinorum *ango*, quia eſt malum anxium ob difficultatem ſpirandi, & deglutiendi, ſine quibus nec nutritio perfici, nec vita ſuſtentari poteſt. Præterea febrem acutam ſi hic comitem velis, nemo repugnabit, ſed tunc ſummus anginæ gradus, eaque non Idiopathica, quæ ſponte ſua exoritur, & a ſola plethora dependet, ſed ſymptomatica, quæ plerumque febribus acutis ſtipata eſt, dicenda foret. Suadet nobis hanc opinionem textus ipſe, in quo v. 21. eſt שְׁחִין quod LXX. per ἕλκος & PAGNINUS vertunt per *ulcus*, LUTHERUS **die Drüſe**. II. REG. XX. 7. o) i. e. glandulam & quidem faucium, quæ jam inflammata Synanchen, quæ ſpecies Anginæ eſt, contrahebat, & cujus tumor magis extrorſum vergebat. Dicitur porro Hiskias

m) *In Miſcell. Med. de morbis biblicis* p. 47.

n) Vid. JOH. JUNCKERI *Conſpectus Medicinæ theoretico practicæ Tab.* XXV. p. 152. & CAROL. MUSITANI *Tom. I. L. I. Cap. XVII.* p. 98. item HIPPOCRATIS *Oper. T. I.* p. 467.

o) *Hoc loco Regum* habent *Alexandrini* ἕλκος, ſed ESA. XXXVIII. 21. omiſſum illud eſt in noſtris τῶν ὁ editionibus quæ καὶ κατάπλασαι legunt. Sed poteſt τὸ ἕλκος errore ſcribarum omiſſum eſſe, ſiquidem EUSEBIUS ad illum locum docet, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἕλκος ὠνόμασαν, reliquos omnes ἕλκος expreſſe addere; ubi per τοὺς λοιποὺς per *reliquos* omnes aut *reliqua* τῶν ὁ exemplaria, aut, quod eſt probabilius, reliquos interpretes græcos, SYMMACHUM AQUILAM &c. intelligit. Vide *Fragmenta editioni ſeptuaginta viralis Verſionis Lipſienſi anno 1697. adjecta* p. 142. 143.

kias ad mortem usque ægrotans II. REG. XXI. 1. quod bene etiam indoli hujus morbi respondet. Nam admodum periculosa existit angina, quarto enim vel quinto ad summum die strangulatio adest. p) Attendamus deinde vocem nostri ægrotantis, instar gruis murmurantis. Dum enim noctu insomnis excubias agebat, ille ejulabat, & pipire necesse habebat. Notum autem est Anatomicis & Physicis, grues asperam arteriam habere, ad ulnas duas fere extensam, sed gyrosam & flexuosam instar cornu venatici, hinc a natura ejusmodi vocem clangosam edere possunt, cui non absimilis erat loquela Hiskiæ, cujus fauces per inflammationem & tumorem ita constringebantur, ut vix per sibilum verba exprimere posset. q) Tandem & huius morbi curatio per ficus optime procedebat. r) Quam enim virtutem ipse GALENVS cum multis

p) Vide *Celeberrimi* LAVRENTII HEISTERI *Chirurgie* p. 557.

q) Confer. de glandularum & gutturis structura loquelæ apta NIEVWENTYT Erkäntniß des göttl. Wesens, die siebente Betrachtung von Athemhohlen p. 84.

r) R. SALOMO JARCHIVS ad II. REG. XX. 7. negat curationem per ficum huic malo aptam fuisse; nam & sanam carnem, si illi imponatur ficus, computrescere, quanto magis affectam? Hanc vim putrefaciendi etiam ARISTOTELES ficubus tribuit, quando in *problematibus suis* caussam, cur ficus, cum dulces sint & molles dentibus tamen officiant, in eo positam esse existimat, quia molles sint, *καὶ σῆψιν ποιεῖ ταχέως*, *& quia putredinem repente faciant*, *ἅτε θερμὰ ὄντα*, *cum calidæ sint. Opp. T. IV.* p. 182. Hinc JARCHIVS miraculum in miraculo fingit, Deum enim benedictum dedisse rem corrumpentem super re corrupta. Et tale etiam evenisse tempore Elisæ affirmat ad II. REG. II. 21. ubi Propheta injecto sale salubritatem aquis conciliabat, cum sal alias aquam corrumpere soleat. Vide illum *ex Versione* BREITHAVPTII *cum notis* p. 414. Judicium sit penes artis medicæ peritos. Sed ABARBENEL ab eo plane dissentit, & in medela ficus nihil miraculi fuisse affirmat, tum, quia illa sit naturale remedium pestularum, tum, quia morbus ipse, seu febris lethalis verbo Prophetæ fuerit sanatus, cum dixisset: הִנְנִי רוֹפֵא לָךְ: *ecce sano te:* ulceri autem, ut mere accidenti illius morbi, morbo ipso multo leviori palatha contusa, non Dei mandato, nec per modum miraculi, sed tantum ex consilio Esaiæ privato imposita, medela accesserit. *Comment. ad Esa.* XXXVIII. p. 59.

multis aliis de hoc fructu prædicat s) eandem & Hiskiæ nostro exhibebat, ejusque curationem promovebat, duritiem discutiendo, parotidas emolliendo, inflammationem sedando, licet benedictioni divinæ primas hic debeamus concedere, ut expresse patet II. REG. XX. 5. seq. t)

§. VII.

His prælibatis, ipsos, ut cætera relinquamus, terrores, quos tempore hujus morbi in faucibus mortis constitutus Hiskias sentiebat, aggredimur. u) Communicat

s) Sic GALENUS L. VIII. *de simplici medicam. facult.* dicit: *aridas ficus habere vim excalefaciendi ordine primo etiam completo, aut secundo incipiente; habere etiam quandam tenuitatem partium, ac duabus illis de causis idoneas esse ad id, ut tumores duros excoquant, atque discutiant, præsertim, si vel triticea vel hordeacea farina permista illis illinantur.* Cum quo medicorum principe consentit REMBERTUS DODONÆUS *Herbar. Belgic.* P. VI. Cap. 20. p. 1272. *Ficus aridæ triticea farina permistæ emolliunt & maturant quævis apostemata, carbunculos, tumores, aliaque ulcera.* Confer. TABERNEMONTANI grosses Kräuterbuch *Part.* III. Sect. II. Cap. XVIII. & XXV. Excell. FRIEDR. HOFFMANNUM *in med. rat. system.* T. III. p. 475. & AVINCENNAM *medicorum Arabum principem* Lib. II. Tract. II.

t) Audiendus hic imprimis est LEVINUS LEMNIUS *de Herb. & Arbor. Bibl.* Cap. XIX. p. 60. ita disserens; *Ficus maturandi ac leniendi facultate pollere Esaias Cap. XXXVIII. commonstravit. Siquidem cataplasma illum confecisse legimus ex contusis ficubus, atque Ezechiæ regis apostemati admovisse, eoque præsidio illum sanitati restitutum, sicut Deus singulari suo beneficio, quo regi vita in quindecim annos prorogata est, externam medicinam adhibuit, quæ illius munere corporibus humanis efficax est, & præsentanea.* Cæterum de hac re ex instituto egerunt: GE. WOLFG. WEDELIUS *in dissert. de morbo Hiskiæ.* Confer. *ejusdem Exercit. med. Philol. Dec. VII. exercit. IV.* p. 21. seqq. & JOH. CHRISTOPH. STURMIUS *in disput. de curatione morbi Hiskiæ per ficum & sciaterico regis Achasi. Alt.* 1691.

u) Si Hebræos audimus, mors & temporalis & æterna, quam utramque vatem denunciasse ajunt, erat, quæ Hiskiam terrebat. *Morieris*, in hoc seculo, *& non vives* in futuro. Sed rectius ex genio linguæ hæc duo dictionis membra ita exponuntur, ita, ut מֵת *morieris* idem sit, ac e vivis excedere, וְלֹא תִחְיֶה *& non vives*, idem ac, non convalesces. Du wirst sterben, und nicht wieder gesund werden. Nam τὸ חיות plurimis locis est *convalescere*, v. g. in hac ipsa nostra pericopa v. 9. וַיְחִי מֵחָלְיוֹ *& convaluit Hiskias a morbo*

bo

cat autem nobiscum istos in singulari illo carmine, quod in debitæ gratitudinis testimonium componebat x) post sanitatem recuperatam, & in loco Esaiano sub finem §. I. jam citato comprehenditur. y) Ad quatuor nempe hos terrores regios referri posse, sequens tractatio monstrabit. Primus ergo terror Hiskiæ suboriebatur ex appropinquatione mortis præmaturæ, quem hisce verbis prodit, v. 10. אֲנִי אָמַרְתִּי בִּדְמִי יָמַי אֵלֵכָה בְּשַׁעֲרֵי שְׁאוֹל

bo suo, LXX. ἀνέστη ἐκ τῆς μαλακίας ἀυτȣ̃, item JOS. V. 8. ubi circumcisa gens in castris remansisse dicitur עַד־חֲיוֹתָם donec e vulneribus convalescebat, & II. Paralip. XI. 8. Joab יְחַיֶּה sanabat, restaurabat reliquum civitatis, &c. Et certe *mori & non vivere* indecoræ tavtologiæ, quod vitium tamen a sacris literis alienum est, simillimum foret.

x) De auctore hujus hymni disputari solet. Jesaiam esse, credibile videtur GROTIO, qui illum Hiskiæ in calamum dictaverit; *Comment. in h. l.* sed, monente CALOVIO *Bibl. Illustr.* p. 165. nihil causæ est, unde ista opinio suboriri possit. Potuit enim Hiskias, æque ac David & Salomo reges, vir esse θεόπνευστος, nec defuisse, qui illum libri Judicum, Regum, quorundam proverbiorum Salomonæorum auctorem & collectorem faciant, auctor est idem CALOVIUS, & styli diversitas Hiskiam potius quam Esaiam indicat, judice CAMPEJ. VITRINGA *in Comment. ad h. l.* p. 335. Quod ergo primitus Hiskias auctore principali spiritu sancto scripserat, postea Jesaias in sua vaticinia transcripsit, & sic ratione causæ efficientis hujus hymni esse Esaiam, non negatur, ita tamen, ut non sit causa *compositionis*, sed in codicem sacrum *illationis*. Scripsit autem Hiskias in memoriam, ut cives sui legerent, & secum pro gratia sibi exhibita Deum laudarent, vel literarum monumentis consignatam extare voluit tanti beneficii memoriam. Hoc voluit TARGUM JONATHANIS, quando τὸ מִכְתָּב ita παραφράζει: *scriptura confessionis de miraculo, quod factum est Hiskiæ.* vide illam interpretationem *in Bibliis Buxtorfianis suo loco.*

y) Non ergo Hiskiæ satis erat tertio post restitutionem die templum gratias Deo agendi opimaque sacrificia offerendi causa intrasse, (quod enim de more etiam Hebræorum, qui a morbo vel alio quodam periculo liberati, comam capitis Deo gratitudinis causa obtulerint, habet JOH. SPENCERUS *de legibus Hebræorum* p. 864. hic in censum non venit,) sed more sanctorum Mosis v. g. & Israëlitarum EXOD. XV. Deboræ JUDIC. V. Hannæ I. SAM. II. Mariæ & Zachariæ LUC. I. & II. peculiari cantico Deum ejusque gratiam celebrabat, id quod literis quoque exarabat, quo beneficiorum a Deo exhibitorum memoria ad ultimam usque perferatur posteritatem. Cæterum an hæc Ode ποίημα κιθαριζόμενον, *carmen ad citharam aptatum*, ut fere ex v. 20. apparet, fuerit, in operosam disquisitionem trahere nolumus.

פָּקַדְתִּי יֶתֶר שְׁנוֹתָי quod vulgata ita transtulit: *ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas sepulcri: privatus sum residuo annorum meorum.* Initio igitur *dixisse* se Hiskias ait, quæ radix אָמַר cum diversimode in sacris literis usurpetur, quale hoc nostro loco sermonis genus indicetur, inquirere necesse est. Tribuitur scilicet nunc cordi, & significat *judicare, opinari, decernere apud animum suum,* & appellatur voce in scholis recepta λόγος ἐνδιάθετος sive *sermo internus*; sumitur nunc pro sermone ore prolato, & vocatur λόγος προφορικός. z) & utroque sensu hic fortassis Hiskias dicebat; quando, quæ in sequentibus audiemus, mente reputabat, eademque, quantum per morbi gravitatem licebat, cordis sui cogitata oretenus proferebat. Erat itaque adhuc mentis compos, cum e contrario Nabal ille, indicato sibi periculo, quod iratus David minabatur, ita statim conturbaretur, ut, *quasi mortuum esset cor ejus in medio ejus, & ut esset ille quasi lapis.* I. SAM. XXV. 37. Loquebatur Hiskias, nec in hoc vel murmurando vel temere dicendo more eorum peccabat, qui irrogatis sibi ærumnis paulo durioribus, quam quas promeruisse sibi videntur, injuriam sibi fieri putant, & judicia Dei justa accusant. PSALM. LI. 5. sed lamentationes, suspiria & preces faciebat, probe sciens: *Justum esse Jehovam in omnibus viis suis, & sanctum in omnibus operibus suis.* PSALM. CXLV. 17. Talem vero se gerebat rex noster lecto affixus. Sequitur nunc ipse sermo, quo terrorem suum Hiskias exponit, cujus initium est: *in dimidio &c. vadam.* Juxta fontes hebræos rectius, *in excisione* sive *extinctione dierum meorum.* Quod LVTHERVS: **Da meine Zeit aus war.** LXX. in voce דְּמִי literam ד cum ר permutantes, quod in

z) Vide GVILIELM. ROBERTSONII *thesaurum linguæ sanctæ in voce* אָמַר p. 37.

in lingua Ebraica facillime admodum fieri poteſt, pro כרמי legerunt ברמי, hincque ἐν ὕψει *in altitudine dierum* tranſtulerunt, quaſi Hiskias diceret, cum aut fortuna mea ſummum fere apicem attigiſſet, aut dies mei altius adhuc aſcenderent, mihi deſcendendum eſt ad portas ſepulcri; quæ verſio, quanquam nihil habet incommodi, utpote materiæ ſubſtratæ apte reſpondens, a mente tamen auctoris cum ſit remota, errore non caret, cujus originem a ſimilitudine literarum nempe ortam quisque ſtatim intelligit. Sed etiam ideo LXX. non ſunt probandi; non enim in conſilio habuere accentuationem & ſeparanda conjunxere; nam ita exemplar, quod mihi ad manus eſt, a) ἐγὼ εἶπα ἐν τῷ ὕψει τῶν ἡμέρων μȣ, procurrente poſt εἶπα oratione, nullo interpoſito diſtinctionis ſigno. Sed אָמַ֫רְתִּי habet *Rebhiam*, majorem quam *Tebhir* eſt in יָמַ֫י ergo τὸ *in dimidio dierum meorum* non eſt tempus, quo hæc dicebat, ſed eſt potius illud tempus, quo ſibi adeundæ portæ mortis erant. Hinc rectius LVTHERVS, & ante illum *vulgatus*: **Ich ſprach**, addito colo: ſequitur nunc, quid dixerit: ſcilicet, in dimidio dierum meorum mihi vadendum eſt. Quod autem idem Vulgatus τὸ בִּדְמִי *in dimidio dierum* vertit, id fortaſſis non male procederet, ſi anni regis computantur ſecundum terminum communem & naturalem vitæ humanæ, quem Moſes fixit PSALM. XL. 10. dicens: *Dies annorum noſtrorum, quibus vivimus ſeptuaginta anni, & ſi in fortitudinibus ſit, octoginta anni.* Agebat enim Hiskias tum temporis triceſimum nonum annum, qui fere dimidium octogeſimi. Alias, ſi omnem ejus ætatem ſpectas, jam ultra dimidium tum vixerat; quindecim enim tantum anni poſt hunc caſum ipſi a Deo addebantur. Vnde Vulgati *dimidium dierum* calculum non mere-

a) Scilicet *editio Lipſ.* 1697.

meretur, tantoque minus is est ferendus, quia דְּמִי numquam *dimidium*, quod potius est חֲצִי יָמִים PSALM. CII. 25. confer PSALM. LV. 24. sed illud, de quo paulo post dicetur, significat. Alii b) hanc vocem per *silentium* reddunt, eam a radice דמה, *siluit*, *quievit*, unde est דְּמִי *silentium* vel *quies* derivantes; & more Ebræorum orbitatem dierum significari dicunt. Cum enim masculini sexus prolem Hiskias nondum haberet, conqueri ipsum volunt de silentio nominis sui post proximam mortem futuro, juxta illud: *in morte non est memoria tui* PSALM. VI. 6. c) Potiores tamen sacrarum literarum scrutatores, & quæ sententia apprime placet, per *succisionem vel recisionem dierum* verba regis nostri vertunt. d) Desumta metaphora

b) Ex veteribus AQVILA cum cognatis Interpretibus, si fides habenda est DRVSIO, qui in *Criticis Anglicanis* T. II. p. 2696. hoc de interpretibus græcis, AQVILA, SYMMACHO & THEODOTIONE affirmat, & ad *Hieronymi* testimonium ablegat. In fragmentis autem, LXX. *editionis Lipsiensis* sub finem additis, illud non invenio. Pertinet ad hos veteres etiam R. SALOMO, qui itidem *Comment. ad h. l.* per silentium exponit. Vide *Versionem* BREITHAVPTI p. 217. ex recentioribus, FORERIVS, SANCTIVS ad h. l.

c) Sic in multis aliis scripturæ locis *silere* dicitur pro *mortuum* esse, atque adeo *silentium* pro loco mortuorum i. e. pro sepulchro; v. g. PSALM. CXV. 17. mortui dicuntur descendere in silentium, item PSALM. XCIV. 17. in *silentio* seu in loco silentii habitare dicitur, vita illius, qui moritur, vel perit; & vero *silentium est in sepulchro* I. SAM. II. 9. PSALM. XXXI. 18. Eundem in modum loquitur SIMONIDES apud STOBÆVM *in tractatu de morte.* σιγὰ ἐν νεκύεσσι, i. e. *silentium est apud mortuos*, seu mortui silent. Vnde etiam apud Poetas latinos mortui denotantur per populum silentem, ut apud CLAVDIANVM L. II. *de raptu Proserp.* vel per silentes: quo sensu apud OVIDIVM L. 13. *Metamor.* de Æaco dicitur; *qui jura silentibus illic reddit*, & apud VIRGILIVM Lib. VI. *Æneid.* de Minoë:

ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.

Sepulchrum etiam ab OVIDIO *l. c.* L. XV. per *sedes silentum* denotatur. Vide PETRI RAVANELLI *bibliothecam sacram*, in voce silentium.

d) CAMP. VITRINGA *in Comment. ad h. l.* SEB. SCHMIDIVS &, quos allegat MATH. POLVS *in Synops. Critic. ad h. l.* Imprimis audiri merentur hic antiquiores, & e quorum rivis hi recentiores sua prata rigarunt hebræi. KIMCHIVS *ad h. l.* idem esse ait, atque בִּכְרִיתַת יָמַי in *excisione dierum* meorum, rad. כָּרַת *excidit.* Hoc sensu dicere Deum

HOS.

phora a textoribus, e) qui, cum telam abſolverunt, reſcindunt eam a jugo; utpote cui ſimilitudini Poëta noſter & in ſequentibus, imprimis v. 12. inhæret, vehementer ibi dolens, quod filum vitæ ſuæ, dum in medio adhuc curſu erat, reſcindatur & abrumpatur; cujus reſciſſionis indicium habebat tum morbum præſentem, eumque lethalem, tum nuntium ad aures ſuas per Eſaiam relatum. v. 1.

§. VIII.

Terrorem ipſum in ſtatu hoc triſtiſſimo Rex deſcribere pergit per אֵלֵכָה בְּשַׁעֲרֵי שְׁאוֹל Vbi ante omnia de voce *ſcheol* quædam dicenda ſunt, & videndum, quem ſenſum in hoc ſtylo Poëtico poſcat. f) Nomen ipſum a ra-

HOS. IV. 5. וְדָמִיתִי אִמֶּךָ *& exſcindam matrem ſuam.* conf. ESA. VI. 5. væ mihi, כִּי־נִדְמֵיתִי *quia exciſus ſum.* Inde eſſe, מִיתַת כָּרֵת *mors exciſionis.* Ita appellant Judæi mortem, quæ homini ante quinquageſimum ætatis annum evenit, & hanc Deum minari ajunt, quoties in lege moſaica dicatur, hunc illumve exſcindendum eſſe ex populo ſuo. Alias ſexageſimum ætatis annum Judæi faciunt initium ſenectutis ex בְכֶלַח JOBI V. 26. ingredieris in *ſenectute* in ſepulchrum, quia illius vocis literæ per ſpeciem *Kabalæ* efficiunt numerum ſexagenarium, & iſto demum anno aliquem cum honore & ſine ſuſpicione *excidii*, tanquam pœnæ divinæ, peccato aliquo elicitæ, mori poſſe tradunt. Vnde illum annum, qui vivendo ſunt aſſecuti, ſolenni epulo celebrare ſolent. Vide WAGENSEILII *Tract. Sota* p. 513. it. BVXTORFII *Lex Hebr.* voce כֶּלַח p. 358. Sed ad rem! Porro R. SALOMO, etſi, ut ſupra vidimus hoc דֳּמִי per חֲרִישָׁה *ſilentium* vertit, tamen addit; ſe tale ſilentium intelligere, quod a devaſtatione & exciſione oriatur, & allegat ZEPHAN. I. 11. נִדְמָה *exciſus* eſt omnis populus Canaan.

e) Quanquam enim non eſſet incongruum, affirmare, quod ſimilitudo τȣ̃ דמה ab exciſione arborum, abſciſſione ramorum, occiſione animalium deſumta ſit, quam ſine dubio in mente habuerunt auctores hebræi paulo ante allegati: ob rationem tamen allegoriæ, mihi magis placere, quæ ſequuntur, fateor.

f) Annotavit doctiſſ. JAC. GVSSETIVS *in lexico linguæ Hebr.* p. 1552. nomen שְׁאוֹל nunquam poni in ſtylo ſedato ac mediocri, ſed tantum in ſtylo poëtico, in Prophetico in inſultatione, in pathemate doloris aut timoris adhiberi; quam recte tamen, videant & judicent alii. Nam quando

a radice שָׁאַל i. e. *rogare, petere, quærere* descendit, atque sic vi Etymi eum locum significat, in quo qui est, is quæritur, h. e. κατώτερα μέρη τῆς γῆς, quo non penetrant viventium in superficie oculi: confer JOB. X. 21. 22. atque hinc est, quod ad denotandam Dei, quem nihil fugit, omniscientiam dicatur JOB. XXVI. 6. עָרוֹם שְׁאוֹל נֶגְדּוֹ *nudus est infernus coram ipso*, i. e. imi terræ recessus, intima terræ viscera. Nisi mavis eum locum designari, qui præditus est insatiabili desiderio omnia ad se trahendi, & sinu suo tenebroso involvendi. Hac enim mente Salomo annumerat שְׁאֹל tribus illis rebus, quæ non satiantur, & quatuor illis, quæ nunquam dicunt, sufficit. PROV. XXX. 15. 16. ratione denominandi ab illo radicis שָׁאַל significatu petita, qui est *appetivit, poposcit, desideravit.* g) PAGNINUS cum multis aliis שְׁאוֹל per *sepulchrum* reddit, quod vero B. SEB. SCHMIDIO h) nondum sufficienter probatum esse videtur. Et quamvis non negemus, quod שאול metonymice interdum vel improprie & metaphorice pro *sepulchro* usurpetur, i) proprie tamen & accurate loquendo Hebræis aliud est קבר *sepulchrum*, aliud מות *mors*, aliud nostrum *Scheol.* Id quod vel ex ipsius vocabuli Etymo jam allato patet, quo satiari *Scheol* nunquam potest, sed semper

do v. g. Moses interitum *Corahitarum* per descensum שְׁאוֹלָה in sepulchrum sive in cavernam dehiscentis terræ enarrat, tanquam rem aliquam factam NUMER. XVI. 33. nec stylo loquitur Prophetico, nec cum pathemate, sed factum mere historice describit. Possent & plurima loca ex libris metricis, æque ac propheticis afferri, ubi τοῦ שְׁאוֹל absque omni animi commotione mentio fit; neque etiam omnes phrases poëtarum & prophetarum ideo protinus etiam sunt poëticæ aut propheticæ i. e. elatiores atque subliniores.

g) Vide HERM. WITSII *Meletemata Leidensia* p. 266.

h) *In Comment. ad h. l.* p. 332.

i) Quod imprimis SALOM. VAN TILL *in Comment. in Psalm. VI. 6.* p. 9. & HACKSPANIO *in notis Philol.* p. 623. maxime placet, qui non solum KIMCHIUM & ABEN ESRAM idem sentientes adducit, sed hujus rei rationes etiam in ipsis scripturis se invenisse putat.

per plura poſtulat; cum contra ſepulchrum, aut locus corporum vel terra egeſta, vel cadaveribus, vel denique ipſo aere ſive alio corpore, facile ſaturari & repleri queat. k) Pontificii ad unum fere omnes, quicquid uſpiam poſſunt, pro certis quibusdam damnatorum claſſibus corradentes, ex hoc *ſcheol* infernum faciunt. l) Poſtquam enim ſtatum animæ miſerum dicunt eſſe vel deſiiſſe in limbo Patrum tempore deſcenſus Chriſti ad inferos evacuato, vel duraturum usque ad finem ſeculi in purgatorio, vel ſempiternum, eumque aut ſolius damni in limbo infantum, aut damni & ſenſus ſimul in inferno, loco ſcilicet profundo & ſubterraneo; m) illum infernum non aliter in certas cellas & receptacula diſtinguunt, ac ſi ipſi eius fabricationis autores & arbitri, aut certe ejus luſtrationi oculati teſtes interfuiſſent; ſed ea temeritate, rem tanti momenti ſine ullo idoneo argumento affirman-

k) Vtitur hoc argumento JOH. TARNOVIVS *Comment. in Pſalm. IX.* p. 235. ubi eorum ſententiam, qui *Scheol* cum voce *Kebhex* confundunt, refellit.

l) Quæ quidem quorundam etiam Judæorum eſt ſententia, qui hoc comma ita explanant: Ego dicebam in morbo meo: in exciſione dierum meorum eundum mihi eſt ex hoc ſeculo. Et quia, qui ex hoc ſeculo exſcinduntur, (eſt enim pœna divina, exſcindi ex populo ſuo, juxta formulam illam moſaicæ legis frequentiſſimam) hoc illis ob peccata ipſorum contingit: propterea dicit Hiskias: in portis שְׁאוֹל *viſitabor* i. e. *puniar*, (nempe viſitatione iræ) per reliquos meos annos, id eſt, reliqui vitæ meæ anni, qui adhuc mihi ad complendum naturalem numerum deſunt, erunt mihi exigendi in portis שְׁאוֹל וְגֵיהִנֹּם *inferni & gehennæ.* Tradunt enim, ut ſupra ſuo loco commemoratum, Jeſaiam Hiskiæ per וְלֹא תִחְיֶה æternam damnationem denunciaſſe. Hinc etiam illis inter ſeptem illa nomina, quibus gehennam ſive infernum deſignant primum eſt noſtrum שְׁאוֹל vid. HVETII *demonſt. Evang. Prop.* p. 1021.

m) Vide BECANVM T. I. *Th. Schol. de Beat.* C. I. *qu.* 12. *T. V. Opuſc. qu.* 2. n. 3. p. 520. *Tract. de Pecc. Orig.* C. 9. p. 12. CORNELIVM A LAPIDE *ad Math. VII.* p. 179. item HVLSEMANNVM *Manual. Diſp. XV.* p. 642. 648. & CHAMIERVM T. IV. *Panſtr.* L. XXV. C. V. ad XI. p. 548. ſeqq.

firmandi, vix ulla potuit esse major. n) Imprimis pro suo limbo patrum tanquam pro aris & focis digladiantes, arrepta vocula שאל adserere non solum verentur, nuspiam *scheol* in sacris literis designare sepulchrum, o) sed semper locum quendam infernalem & pœnalem p) sed pro adstruenda sua sententia etiam imprimis inter alia loca temere contorta recurrunt ad hæc Hiskiæ verba, quibus rex pius conqueritur, animam suam a morte corporis non quidem in ipsum שְׁאוֹל sed tamen in שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל in *portas* & in *propylæum inferni* i. e. in *limbum patrum* migraturam esse, ibique permansuram, nec, nisi per descensum Christi ad inferos, inde eximendam, & a tormentis exquisitissimis liberandam. Nititur hoc nostro dicto præsertim GALATINVS q) & ut locum supremum limbo Patrum vindicet, sic argumentatur: Dari in scriptura S. שאל תחתית sive *inferiorem infernum*, ergo *infernum*, qui ipsi respondeat, *superiorem* quoque esse oportere, quem ideo Hiskias hic vocaverit שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל *portas inferni*. **Die Vorhölle.** Sicut autem vanissimum istud hominum de purgatorio aliisque locis intermediis commentum r) a nostratibus jam dudum explosum fir-

n) Audiamus modo BELLARMINVM L. II. *de Purgatorio* C. 6. ita disserentem: *Infernus est locus subterraneus, cujus pars profundissima est infernus damnatorum: Purgatorium est illi vicinum: Limbus puerorum est in altiore loco inferni, quam est purgatorium, denique limbus patrum est in parte inferni suprema.*

o) Quid tamen ad NVMER. XVI. 33. responsuri sint, ipsi viderint; nisi concedere volunt, etiam jumenta *Coharitarum* simul in orcum & in stygias flammas descendisse.

p) Ergo ne quidem optimos illos duumviros Jacobum & Davidem cruciatibus tartareis eximunt? GEN. XXXVII, 35. PSALM. LXXXVIII. 4. neque ipsum θεάνθρωπον, PSALM. XVI. 10.

q) *De arcan. Cathol. Verit. L. VI. Cap.* 9. quemque RAYMVNDI MARTINI fucum & Antiquitatis depravatorem appellat CHRIST. NOLDIVS *in vita & gestis Herodum.* vide THOM. CRENII *Fasc. IV. exercitationum* p. 482.

r) Commentum inquam, quia id sine ulla revelationis auctoritate, partim ex lacunis gentilium superstitionum ad eos emanasse nostrates dudum observarunt, imo ipse AVGVSTINVS

s) firmissimisque argumentis probatum esse, quod fideles V. T. qui Christum ejusque meritum universale fide amplexi sunt, vi illius ab inferno & diabolo liberati, nec detrusi fuerint in peculiarem inferni angulum; ita certe verba Hiskiæ neutiquam pro ista ipsorum sententia militant. Quid enim locutio de *portis inferorum* sibi velit, mox §. *seq.* X. videbimus, hoc interim monentes, quod Scriptura S. non unius *portarum* generis mentionem faciat; Commemorat enim nobis v. gr. PSALM. CXIIX. 19. *portas justitiæ*; PROV. XIV. 19. *portas justi*; JEREM. XV. 7. & NAH. III. 13. *portas terræ*, & PSALM. IX. 14. *portas mortis*; nec tamen ideo hæc portarum mentio usquam certum aliquem & determinatum locum indicat; unde ergo portis τῦ שְׁאוֹל tanta vis, ut necessario pro aliquo πῦ definito, & imprimis pro *limbo patrum* faciat? Aut unde GALATINO tanta fiducia, ut his armis confictum illud piorum receptaculum tueri se posse credat? t)

§. IX.

In mente igitur Hiskias jam, dum de שְׁאוֹל loquitur, nec nude sepulchrum nec infernum, multo minus limbum

D 2

NVS probavit Lib. 21. *de civit. Dei* Cap. 13. confer. JOSVÆ ARNDII *Lexicon Antiquitatum Ecclesiast.* p. 773. partim e Judæorum nugis assumtum esse; ipsimet non diffitentur, observante HACKSPANIO *notis Philol. ad Zach. XIII.* P. II. p. 1057. Esse enim judæis etiam opinionem de purgatorio, ex illorum scriptis constat. Faciunt quoque iidem triplicem hominum classem 1.) justos perfectos, 2.) injustos perfectos, 3.) intermedios. HACKSPAN *l. c.* Eundem in modum etiam Pontificii faciunt 1) Justos, 2) Impios, 3) probos quidem, sed in hora mortis a peccatis venialibus nondum purgatos; quos, æque ac Judæi suos intermedios, purgatorio interim adjudicant. *ap. eundem ibid.* & P. III. p. 287.

s) Vid. DAV. HOLLAZII *examen Theol. acroam.* P. II. p. 716. JOH. CONR. DANNHAVERI *Hodom. Pap. Phant.* XII. p. 954. & p. 1042. seqq. JOH. GERHARDI *Confessio Catholica* L. II. P. II. Art. IX. & B. JOH. ADAM. SCHERZERI *Disp. de purgatorio exusto contra Papistas.*

t) Vid. HACKSPANII *Not. Philol.* P. II. p. 620. GALATINVM oppugnantis.

bum Patrum habuit, sed, si verbo dicendum est, mortem naturalem, vel transitum ex hac vita mox subsecuturum. Quippe שְׁאוֹל in sensu proprio acceptum communiter significat *obscurum*, *absconditum* & ab omni hominum viventium consortio remotum locum, eumque infimum, qualis est profunditas maris, abyssus & vorago quædam subterranea, vel in specie & magis proprie locum illum, vel potius statum, qui hominem excipit post mortem, u) tam piis quam impiis communem. Probant id omnia fere scripturæ loca. Sic dicebat Patriarcha *Israël* de filio suo Josepho, quem nec in limbo patrum constitutum, nec sepultum, sed a bestia devoratum credebat: *descendam ad filium meum lugens in infernum.* GEN. XXXVII. 35. i. e. moriar in hoc luctu, in quem me vocavit triste illud de internecione filii mei nuncium. Sic David PSALM. VI. 6. asserit: *non est in morte memoria tui; in inferno*, h. e. in statu mortis, *quis confitebitur tibi?* scilicet publice, & in cœtu Ecclesiæ, inter viventes, διαῤῥήδην & in oculis omnium. Sic JOBVS profitetur *Cap.* VII. 9. *qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam.* i. e. qui semel mortuus est non revertetur in vitam, nempe naturalem, vel ante resurrectionem, vel ad vitam similem, quam vixit in hoc seculo mortalem & corruptibilem. Sic ESAIAS, ut cœteris quam plurimis locis supersedeamus, *Cap.* V. 14. pronunciat: *dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum præter morem, & descendet decorus ejus & multitudo ejus in ea.* Cujus sensus est: quia voluptati ac deliciis se dedit populus, ideo decre-

u) Vid. JOH. MICH. DILHERRI *Disput. Acad.* T. II. p. 4. NIC. JOH. LETH *disp. de* שְׁאוֹל *Hebr. quæ extat in thesauro Theologico-Philologico* P. I. p 591. & CHRISTOPH. HELVICI *Vindicationem locorum V. T. comprehensam in* THOMÆ CRENII *Fascic. II. Exercitationum p. 169.* imprimis vero SVICERI *Thesaurum Ecclesiasticum* p. 87.

crevit Deus horrenda ſtrage aut fame immiſſa internecionem ei accelerare, ut e regione viventium in defunctorum ſtatum magno numero migrent, non plebeji ſaltem, ſed & nobiles ac divites, & potentes, tanta aviditate expetente eos veluti & appetente morte, quanta ipſi opſonia opipara expetierant & deglutierant. x) Probat idem *ſynonimum græcum* ἅδης, quod non tantum apud autores profanos eſt obſcurus, & ab omni humano conſortio remotus quidam locus, vel ſtatus ille, qui excipit mortem, ſive is refrigerii & quietis, ſive cruciatuum ſit plenus. y)

 Sed

x) Bene HIERONYMVS *in Comment. ad h. l. Infernus animam habere dicitur, non quod animal ſit juxta errorem quorundam, ſed quod verbis humanæ conſuetudinis rerum inſenſibilium experiamur affectum, quod inſatiabilis ſit, & nunquam mortuorum multitudine compleatur.* Et THEODORETVS *ad h. l.* multitudinem mortuorum his verbis declaravit per προσωποποιίαν mortem nobis repræſentans velut cœtum quendam, qui os continuo apertum habeat, & transmiſſos mortuos inceſſanter abſorbeat.

y) Hinc mythologi gentiles omnes mortuos, nullo habito morum & futuræ animarum poſt analyſin conditionis reſpectu, cymbæ *Charontis* imponunt, ſtygias *apud inferos* aquas ſulcantis; nam fata manent omnes, omnes expectat avarus portitor, ut poëta canit. Quorum alii, trajecto flumine, ſiniſtrorſum ad tartara, alii dextrorſum ad campos eliſyos contendunt, audita ex *Rhadamantis* ore ſententia, ad capienda ibi ſcelerum ſupplicia, hic bene factorum præmia. Videatur VIRGILIVS, ubi *Æneæ* iter ad inferos deſcribit, eumque in iſto itinere aliis *inferorum* male, aliis bene eſſe expertum refert. *Æneid.* L. VI. hoc ſenſu quoque THEOGNES *in ſententiis* v. 1007. ſcribit:

Ὡς μάκαρ εὐδήμων τε καὶ ὄλβιος, ὅϛις ἄπειρος
Ἄθλων, εἰς ἅδε δῶμα μέλαν κατέβη.

Quam felix beatus & fortunatus eſt, quisquis ignarus
Certaminum, in inferni domum obſcuram deſcenderit.

h. e. in ſtatum defunctorum pervenerit. Et JAMBLICHVS in *protreptico Cap.* 9. τῆς δικαιοσύνης, ὥς φασιν οἱ σοφοὶ τῶν ποιητῶν, ἐν ἅδε κομιζόμεθα τὰς δωρεάς, *juſtitiæ, ut ſapientes poëtæ perhibent, apud inferos percipimus dona*, i. e. poſtquam ex hac vita diſceſſerimus. Plura ejusmodi teſtimonia ex poëtis & aliis claſſicis autoribus græcis collegit D. GRABIVS *in appendice apologetica libello* VRBANI RHEGII *de formulis caute loquendi ſubjecta.* Hinc porro deſcendere εἰς ἅδε Græcis idem eſt, quod mori, aut in ſtatum defunctorum pervenire. Hoc ſenſu ANAXAGORAS apud DIOGENEM LAERTIVM Lib. II. in vita ejus, indignanti cuidam & moleſte ferenti, quod in alieno ſolo moreretur, reſpondebat: *Bono eſto animo,* πανταχόθεν ὁμοία ἐϛιν ἡ εἰς ἅδε κατά-

Sed etiam in ſacris N. T. literis eodem ſenſu venit, quando v. gr. in *Apocalypſi*, veluti *Cap.* I. 18, & *Cap.* XX. 13. θάνατος & ᾅδης z) conjunguntur, ubi per mortem ipſe actus moriendi, per ᾅδην vero ſtatus ſequens deſignari videtur. Si tamen per θάνατον *actum* moriendi; & per ᾅδην *ſtatum* intelligi duriuſcule dictum videatur, ſiquidem accuratius loquendo etiam ὁ θάνατος ſtatum animæ a corpore ſolutæ denotat, in quem ſtatum per ipſam ſolutionem vinculi naturalis transfertur, qui animam reddit: forſan non incommode θάνατον καὶ ᾅδην per hendiadyn interpretabimur, quod ſimile ſit illi: arma virumque cano, i. e. armatum virum; hoc ſenſu: *defuncti in ſtatu mortis conſtituti*; quaſi diceret ſervator; habeo claves, i. e. competit mihi poteſtas defunctos in ſtatu mortis verſantes, ex eo in vitam revocandi. Similem in modum res

κατάβασις, idem undique in infernum deſcenſus eſt, h. e. perinde eſt, ſive quis in patrio, ſive in peregrino ſolo moriatur. Meminit hujus dicti ANAXAGORÆ & CICERO L. I. *Tuſcul. queſt.* ita ſcribens: *Præclare Anaxagoras, qui cum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, ſi quid accidiſſet, afferri: nihil neceſſe eſt, inquit, undique enim ad inferos tantundem via eſt.* Nec incommode ſtatus defunctorum ita appellabatur a gentilibus. Cum enim luminis naturæ ductu inveſtigare aut intelligere nequirent, qualis ſtatus hominis poſt mortem eſſet, & ubi anima poſt diſſolutionem a corpore maneret; videntur ſtatum illum in genere appellaſſe ᾅδην, q. d. ἀιδὴς vel ἀίδης h. e. ſtatus inſpectabilis, & inviſibilis, qui oculis cerni non poteſt, hominique per naturam fere eſt incognitus. Adde quæ de hac re habet MARSHAMUS *in Canon. Chronico* p. 272. ſeqq. Celeb. JOH. GEORG. ALTMANNUS *in Exercit. Philol. Critic. de* πυλαις ᾅδȣ ad MATH. XVI. 18. *inſerta Muſæi Helvetici Part.* 4. p. 565.

z) Ita etiam שְׁאוֹל & מָוֶת conjunguntur HOS. XIII. 13. 14. e manu שְׁאוֹל ᾅδȣ *liberabo eos*, & מִמָּוֶת e θανάτῳ *redimam eos*, quæ ſine dubio ſunt ſynonyma, & miſerrimum ſtatum ſpiritualiter mortuorum indicant, vid. JOH. MARCKII *Comment. in h. l.* p. 200. ex quo nos per Chriſtum redemtos eſſe Paulus docet, easdem voces θάνατον καὶ ᾅδην conjungens. I. COR. XV. 56. In quo eximio loco mirifice ſe torquet ABARBENEL; inter alia tamen, quod ad præſentem materiam quodammodo pertinet, aliquid diſcriminis inter מות & שאול ſtatuit, & pro ſynonymis non habet. Nempe מות ait, eſſe dictum על גופנית de *corporali*, שאול autem על עונש גיהנום *de pœna Gehennæ. Comment. ad Hoſeam* p. 238.

res se habet cum latina voce synonimica *infernus* vel potius *inferi*, qua probati autores ad describendum statum mortuorum haud raro utuntur. a) Idque sine dubio iterum ex opinione gentilium, qui putarunt, animam, quam primum corpore est soluta, ob singulare conjunctionis cum eo desiderium, hoc in terram illatum sequi, ideoque in loca subterranea ferri. Quamquam & per metaphoram ita dici possit, partim, quod inconspicuus sit & absconditus, partim, quod tristis appareat hominibus sensuum judicium sequentibus. b)

§. X.

Ex his omnibus sole meridiano clarius patet, quod *scheol*, stricte sumtum, statum mortis, vel animarum post mortem significet, ita, ut nec opus habeamus multos ex nostratibus Theologis in testimonium vocare, c) nec

a) Sic PROPERTIVS:

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas stulte veheris aquas.

i. e. nudus in statum mortuorum pervenies & FLORVS L. IV. *Epit. rerum Rom.* C. 8. de Pompejo scribit: *Magni famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset ulterius.* h. e. magnam magni ducis gloriam, etiam post mortem duraturam sibi comparasset.

b) Alii existimant, Infernum ita dici, quod animæ defunctorum hinc illinc *ferantur*, vid. ISIDOR. HISPAL. L. 14. *Orig* Cap. 9. Quicquid sit, infernum sive inferorum statum non ad corpus sed ad animam referri facile probari potest testimonio SENECÆ Epist. 117. scribentis: *Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium.* Vbi *inferos* SENECA appellat, numina, penes quæ ex fabulis poëtarum, locorum inferorum summa potestas est, *Plutonem, Proserpinam, Rhadamanthum, Minoëm, Rhamnusiam* &c. qui ab iis, qui sibi male conscii sunt, timentur, tanquam pœnas irrogaturi, ab iis, quo recte factorum conscientia erigit, coluntur, tanquam remuneraturi. Et hoc utrumque tum metum pœnæ tum spem præmii, inquit SENECA, invictum esse argumentum, animam post mortem non esse cum corpore perituram, sed in duratione nunquam terminanda permansuram.

c) Possent facile quam plurima testimonia hujus rei afferri ex supra laudato JOH. TARNOVIO, item: SALOM. GESNERO, BALTH. MEISNERO &c. sed sufficiat locus ille B. LVTHERI, qui sententiæ nostræ optimam fidem facit, & habetur in ejus *enarrationibus sive Commen-*

nec etiam in præsenti nostro loco ab hoc significatu recedere.

mentario in Genesin ad Cap. XLII. 38. Necesse est, ait, *aliud esse Kever, & aliud Scheolah. Sicut autem sepulchrum (Kever) commune est tam piis, quam impiis, ita & Scheolah. Hæc certa res est, & petita ex usu sacrarum literarum, nisi, quod hæc est differentia, sepulchrum, Kever, proprie terra est, quæ effoditur, & in qua conditur corpus mortuum, multi enim moriuntur, qui non humantur, ut, qui laniantur a bestiis, aut in crucem aguntur, aut cremantur, illis non conceditur sepultura, & tamen omnes dicuntur descendere ad infernum ex hac vita. Recte igitur hæc distinguuntur, ita, ut, Kever, sepulchrum sit locus, in quo corpus ossaque demortuorum reconduntur, certo tempore, certa persona & loco: Scheolah autem commune quoddam receptaculum, non corporum tantum, sed & animarum, ubi omnes mortui congregantur.* AVGVSTINVS *vocat abdita receptacula animarum in Enchiridio ad Laurentium Cap. 109. Est igitur Chaos illud nobis quidem incognitum, in quo non est differentia locorum, temporum, personarum, quo descendunt etiam hi, qui carent sepulchris. Est locus communis, si modo locus dici potest, non pro corpore, sed pro anima &c.* Et sequitur B. vir, hebraice, ut ferebant ista tempora, egregie doctus, etymologiam vocis קֶבֶר quod a קָבַר *terra obtexit*, descendit, quo sensu legitur GENES. XV. 15. Quanquam eorum conjectura etiam prorsus spernenda non sit, quam commemorat LEIGH *Critica Sacra* V. T. p 421. existimantium, esse transpositionem literarum in voce; dictumque τὸ קבר pro קרב *putrescere*, quia isto in loco computrescant cadavera, sive, quia finis illationis funerum in sepulchrum hic sit, ut ibi corrumpantur. Ad quam literarum in hac voce transpositionem etiam illi respexerunt critici, quibus Germanorum *Grab* ex hebræa origine derivare visum fuit, eodem LEIGH *l. c.* commemorante, & anglicam *grave* simul ad eandem originem referente. Qua occasione, dum in literarum metathesin incido, cui exegetæ variis in locis scripturæ difficilioribus multum tribuunt, & ad quam frequenter confugere solent, facere non possum, quin, quid quibusdam de loco paulo obscuriore PSALM. XLIX. 12. videatur, addam, & hoc quidem ob materiæ cognationem. Legitur ibi de impiis ditibus, suarum opum fiducia inflatis: קִרְבָּם בָּתֵּימוֹ לְעוֹלָם quod vulgo reddunt: *desiderium eorum* (a קֶרֶב *medium, initium hominis, cogitatio & affectus ejus*) *est de domibus suis in æternum*; i. e. vellent illi, & magnopere cuperent, ut domibus & opibus suis his terrenis æternum frui liceret. Sed existimant illi, τὸ קִרְבָּם per קִבְרָם per *sepulchrum eorum*, esse interpretandum, commodissimo hoc sensu, & latente simul eleganti lusu: quasi diceret vates: placent sibi in opibus & palatiis suis, quasi iis perpetuo frituri, sed falluntur egregie, nam קִרְבָּם i. e. קִבְרָם sepulchrum eorum, erunt eorum domus perpetuæ, sepulchrum, mansiuncula satis arcta eos constringet, cohibebitque pro ædibus amplissimis, spatiosissimis, ornatissimisque. Quod, si non displicet, apparet & hinc קֶבֶר sive sepulchrum locum esse defunctorum cadavera recipientem & claudentem. Cæterum hanc sententiam & metathesi literarum τοῦ קרב pro קבר

dere. Ex quo consequitur, Hiskiam ita veluti secum cogitasse, aut etiam ore profatum esse: Ego proxime inter vivos agere desinam, moriar morte immatura, annumerabor aliis defunctis, corpus meum dabitur sepulchro, anima autem manui Domini; Sic vadam ad portas inferni. d) Ad quas tandem inferni *portas* quod attinet, supra §. VIII. jam diximus, quod ad limbum patrum ex mente Pontificorum comprobandum plane nihil faciant, indicant potius, vel, quod animæ in certo quodam πȣ̃ sint, ubi maneant, quasi intra portas suas usque ad resurrectionem mortuorum e) vel summam potestatem mortis, quæ in hoc & aliis locis tanquam suprema quædam regina, rerum humanarum potens, depingitur, quæ regale quasi palatium habeat, portasque feris validissimis obfirmet, & janitoribus vigilantissimis muniat. Atque hujus palatii regii celebratissimæ imprimis sunt portæ, quibus præsentissimum vitæ discrimen, ac summum jam jamque instantis mortis periculum ea de causa indicatur, quia per has veluti portas rectâ ad mortem itur. Hinc locutio PSALM. IX. 14. *Miserere mei Jehova, aspice, ut a meis opprimar osoribus, retrahe me* משערי מות i. e. *de portis mortis.* Nec desunt huic palatio regio sui janitores, qui vita jam defunctos admittant. HIOB XXXVIII. 17. הראה שערי צלמות *portas umbræ mortis vidisti*; quod LXX. πυλωϱοὶ ᾅδȣ ἰδόντες σε ἔπτηξαν, *janitores mortis videntes te exhorruerunt.* Solum videlicet Deum formidant mortis janitores, qui pro sua infinita omnipotentia vitæ & mortis habet potestatem. Sunt denique huic palatio suæ claves, quas Chri-

קבר BEN. MELECHI *in Michlal Jophi ad Psalmi locum* esse, alicubi nuper me legisse memini.

d) Vide VINC. SCHMUCCIUM l.c. p. 602. VITRINGAM l. c. p. 336. LETH *in disputatione citata* p. 596.

e) Quæ est explicatio SEB. SCHMIDII *l. c.*

Chriſtus habet, ἔχει τὰς κλεῖς τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου Apoc. I. 18. f) Et putat hinc VITRINGA g) locutionem hanc deſumtam eſſe a fictione illa poëtica antiqui temporis, qua voraginem ſubterraneam, quæ ſecundum ipſos recipit animas ſive umbras fato functorum, conceperunt ſub imagine magnæ civitatis, in quam per mortem patebat ingreſſus; ut adeo αἱ πύλαι ᾅδου *portæ inferorum* ſint ἡ πόλις τοῦ ᾅδου *civitas inferorum*, quomodo vox πύλαι HOMERO & Poëtis ſubinde ſumitur; & vox *portæ* in ſacris frequentiſſime. h) Interim, ne quid diſſimulem, ſicut, quæ docti viri a me allegati afferunt de *portis inferorum*, pro potentia mortis rite ſe habent, & certis locis biblicis illuſtrandis apprime conveniunt: ita mihi tamen videtur, hoc loco imprimis tertium comparationis, ut appellant, niti iſto momento, quo portæ introitum in urbem denotant. Vt adeo, dum Hiskias ait: plane mihi perſuaſum erat אלכה בשערי שאול nunc mihi intrandum eſſe *per portas mortis*, hoc dictum velit: nunc moriendi neceſſitas me urget, nunc is locus neceſſario mihi adeundus eſt, in quo ſeparatæ a corpore animæ continentur; ſcilicet בשערי dictum eſt pro אל שערי *in portas mortis* eundum mihi eſt.

§.XI.

f) Vide Celeb. JAC. ELSNERI *Obſervationes Sacr.* T. I. p. 78. item DILLHERRVM *l. c.* Quorſum etiam pertinent verba B. JOH. BRENTII *in Comment. in Eſa.* p. 518. ita dicentis: *Porta non ſignificat oſtium vel januam, qua eſt ingreſſus in domum aut civitatem, ſed more hebræo ſignificat etiam curiam ſenatoriam aut prætorium. Et inde tranſumitur ad ſignificandam potentiam. Itaque portæ inferni ſignificant potentiam inferni, ſeu mortem ipſam, qua infernus eſt potens ad perdendos omnes, quoscunque absque Chriſto corripuerit.*

g) *l. c.*

h) Ex ſcriptoribus ſecularibus hac de re vide LVCRETIVM L. III. v. 67. VIRGILIVM L. VI. ÆNEID. & HORATIVM L. II. *Od.* 18. imprimis Tartarorum adamantinas portas & ferrea Eumenidum tecta ab HOMERO *Iliad.* 8. & HESIODO in *Theogenia* dicta refert MART. de ROA in *ſingular.* P. I. p. 132. In genere autem hic conferri poteſt JOH. CHRISTOPH. STRVCHTMEYERI *Theologia Mythica* Cap. VIII.

§. XI.

Testatur autem Hiskias tum de hac sua mente, tum porro de terrore ipso ob mortem præmaturam sibi suborto per sequentia: פֻּקַּדְתִּי יֶתֶר שְׁנוֹתָי De qua phrasi in diversam sententiam abeunt interpretes. Aliqui, *privatus sum residuo annorum meorum.* Causa dissensus est, quia utitur hic rex pius voce פָּקַד de qua annotarunt Lexicographi, quod augustior sit, quam ut latine commode exprimi queat. Nam non *visitare* solum, sed etiam *requirere*, *censere*, *rationem & curam habere* significat. In conjugatione imprimis *Niphal* sensu *deficiendi* venit, & idem est, ac *privari*, uti sumitur NVMER. XXXI. 49. I. SAM. XXV. 7. quo utroque loco נִפְקַד in significatione *deficiendi* occurrit. Etiam in Conjugatione *Kal.* eodem modo defectum indicat, ESA. XXXIV. 16. ubi dicitur, nihil eorum omnium, quæ Deus prædixerit, *desideratum*, sed omnia ad amussim impletum iri, אִשָּׁה רְעוּתָהּ לֹא פָקָדוּ notissimo hebraismo, q. d. aliud vaticinium non desiderabit aliud i. e. omnia simul præsto aderunt. i) Et hanc *deficiendi* significationem etiam ad *Püal*, quod hoc nostro Hiskiæ loco legitur transferunt; affirmantes, reddendum esse proprie, *factus sum visitare* h. e. *cogor desiderare* per Metonymiam effecti; nam privatio rei bonæ facit, ut eam desideremus & quæramus. Respicere ergo ajunt hisce Hiskiam visitationem aliquam, quæ Deo tributa tum in bonam tum in malam partem accipitur. Sic Deus *visitare* dicitur cum benefacit, verbo suo nos accedit, & ad pœnitentiam vocat, monente Christo, LVC. XIX. *non cognovisti tempus visitationis* i. e. adventum Messiæ te benigne ad pænitentiam invitantis, &

 salu-

i) De voce ipsa videantur GVSSETII *Lexicon* & ROBERTSONII *Thesaurus in voce* פָּקַד

salutem suam offerentis. k) Quorsum & illud Zachariæ dicentis: *Deum visitasse nos per viscera misericordiæ suæ ex alto.* LVC. I. 68. i. e. misisse filium suum, qui nos veram religionem doceret & ex potestate peccati ac diaboli redimeret. Visitat autem & Deus, cum graviter punit, v. g. JEREM. LI. 44. *Ecce dies veniunt, & visitabo sculptilia Babel* i. e. perdam illa & destruam. Item EXOD. XX. 5. *Visitans iniquitates patrum super filios* i. e. puniens posteros ob suorum majorum enormia delicta. l) Et hanc ultimam visitationis speciem indicare voluisse, inque animo habuisse suo regem nostrum, plerique sunt eximii interpretes, qui statuunt, quasi diceret de privatione annorum suorum loquens: *nunc justo judicio Dei in me animadvertentis fit, ut properata morte visiter*; quemadmodum alias etiam visitare significat *mori facere*, quando v. g. Moses dicit NVMER. XVI. 29. *Si visitatione hominum visitabitur super eos, non misit me Jehovah*, i. e. si morientur communi aut naturali quapiam morte. m) Quorsum omnino etiam pertinere hanc annorum privationem exegetæ doctissimi autumant. Et fateor quidem, commodam esse & cum contextu valde congruam explicationem; nec auderem ego tantis viris refragari, nisi me vox hebræa nonnihil addubitari posse moneret. Est enim illa *Pual* פֻּקַּדְתִּי quod non est, ut illi volunt, *desideravi*, *privatus sum*; sive *quærere factus sum*; hoc enim potius foret *Hophal* הָפְקַדְתִּי Quanquam enim

k) Conferatur MART. CHEMNITII *Harmonia Evangel.* Cap. CXLV. p. 141.

l) Vide RAVENELLVM *l. c.* P. II. p. 583. & MATTH. FLACII *clavem scripturæ* p. 1283. Cumque τὸ פקד cum variis particulis construatur, vulgo fit, ut, quando עַל ei adjungitur, molestam hanc judiciorum divinorum visitationem indicet; qua constructione etiam muneris aut oneris impositionem, ut rei alicujus curarum & solicitudinis plenæ, denotat II. PARALIP. XXXVI. 20. imposuit mihi Deus, inquit Cores, onus & curam restaurandæ domus Dei hierosolymitanæ.

m) FLACIVS *l. c.*

enim ipse BUXTORFIUS in Concordantiis hebraicis τὸ פִּקַּדְתִּי *privatus sum*, exponit, non habet tamen loca parallela, quibus confirmet, cum hæc forma unica saltim vice in codice occurrat. Quando ergo significatus cum *Pual* convenientior haberi & a contextu ferri potest, inde ad aliam conjugationem, nempe ad *Hophal* discedendum non esse bonæ exegeseos regulæ præcipiunt. Hinc velim a doctis Lectoribus judicari, quid de antiquissima versione JONATHANIS Chaldaica sit statuendum, quæ ita transtulit: *Sed quia Deus mei recordatus est in bonum, hinc additum est ad annos meos;* quasi diceret verbotenus: פֻּקַּדְתִּי *visitatus sum* (a Deo gratiose) יֶתֶר שְׁנוֹתָי i. e. בְּיֶתֶר *per residuum annorum* i. e. cum mihi plane esset persuasum, vitæ finem adesse, Deus tamen aliud gratiose de me statuerat, nempe decreverat, velle se mihi residuum quindecim annorum addere. n) Cæterum nihil audeo definire, sed modo, quam convenienter Chaldæus cum usitatiore significatione τȣ̃ *Pual* transtulerit, monere visum fuit. Si quis tamen interroget, quodnam annorum residuum hic intelligatur, sciendum, annos bifariam hominibus tribui. Primo nempe notantur anni, quos Deus vitæ hominis æterno suo decreto præfinivit. Licet enim Epicuræi terminum vitæ humanæ fortuitum & in casu positum esse credant, quorum cogitata graphice depinguntur SAP. II. 2. *fortuito nati sumus, & posthac erimus perinde, ac si non fuissemus &c.* & qui error vel potius insania ipso homine rationis captum sequente longe est indignissima, & a prudentioribus etiam priscorum seculorum Philosophis dudum proscripta, multoque magis prorsus ex orbe Christiano releganda; ita tamen circa annos vitæ nostræ occupatur providentia Dei, ut cuivis

 homi-

n) Videatur hæc versio in *Bibliis Buxtorfianis*, aut etiam in *Waltonianis*.

hominum certum vitæ terminum determinaverit, qui terminus ratione formæ est vel naturalis, & complectitur actum partim intellectus divini, quo Deus ab æterno prævidit, quale temperamentum corporis homo a parentibus esset accepturus, & quale vitæ spatium per hoc consecuturus; partim voluntatis divinæ, qua constituit causis secundis tantum influxum concedere, quantum vitæ spatium esse debet; vel præternaturalis, quo Deus juxta præscientiam suam, habita ratione morum, voluit, ut hic vel ille homo alium vitæ terminum sive gratiæ sive iræ attingat. o) Hoc autem sensu de annis suis Hiskias neutiquam loquitur. Istorum enim numerus ita certus & ob immutabile Dei decretum immutabilis est, ut illorum annorum ne uno quidem homo, imo ne hora anni mortales privari possint; teste JOBO. *Numerus mensium penes Deum est; statuta ejus fecisti, & non transgredietur.* CAP. VI. 5. Ac DAVIDE: *In manu tua sunt tempora mea,* PSALM. XXXI. 16. Intelliguntur deinde per annos hominis illi, quos secundum naturæ cursum homo vivere potest, ac victurum se sperat; quorum Moses meminit, *ætatis nostræ spatium septuaginta terminetur annis; aut, ut sit bona valetudo, octoginta.* PSALM. XC. 10.

o) Terminus gratiæ respicit tantum unum alterumque pium, cui ob pietatem imprimis obsequium erga parentes nunc breviorem, ne v. g. per prava aliorum exempla corrumpatur, aut instantes videat calamitates ESA. XXVI. 20. nunc remotiorem, exemplo Hiskiæ nostri, decrevit. Terminus iræ autem concernit nonnullos impios, quorum impietatem Deus prævidit, & quibus arctiorem vitæ terminum dedit, quam temperamentum eorum requirebat. Vide de hac materia Theologica: FRIEDER. BECHMANNI *disp. de termino vitæ humanæ.* JOH. ADAM. SCHERZERI *Systema Theol.* L. VI. §. 5. p. 128. seqq. HEINR. WIDEBURGII *Systema Theol. Positiv.* p. 223. seqq. Conferatur etiam JOH. BEVEROVICII *Quæstio epistolaris de vitæ termino fatali an mobili*, &, quæ adduxit noster Magnificus D. GOTTLOB CLAUSWIZ *in disp. de nimio justitiæ & improbitatis Salomonis.*

10. p) Et sic Hiskias ad annum septuagesimum vel octogesimum vitam suam duraturam esse opinari poterat. q) Dum vero annos tantum triginta novem tunc natus erat, *residuum illud* fortassis adhuc ad quadraginta & unum annum excursurum sperabat, quo autem termino naturali, quem sibi forte pollicebatur, animoque conceperat, cum nunc privaretur, jure se mortem præmaturam dolere adque ad illam horrescere posse putabat.

§. XII.

Ast vero mirum fortassis videri posset, regem tam pium mortem adeo dolere ac horrere, cum vir fortis, quanto magis regenitus & fidelis lubenti animo supremum obeat diem, eumque magis optet quam horreat, idque ob causas multo gravissimas, ob inevitabilem fatis concedendi necessitatem, ob concatenatas hujus vitæ calamitates, nunquam nisi cum morte desituras, ob voluntatem Dei, cui simpliciter est obsequendum, quocunque tempore militem suum a statione sua revocet, imprimis ob meliorem vitam, ád quam beatorum mors est transitus, & ob plures alias rationes prægnantes, quas excutere solent diffusius, qui de hac materia de industria & ex instituto tractant. Quæ ergo causa hujus terroris regii? forsitan, quia Hiskiæ in V. T. viventi de meliore post hanc

p) Hebraice וְאִם בִּגְבוּרוֹת *& si quis nactus fuerit naturam eximie robustam*, fieri potest ut octogenariam expleat senectam, vid. B. BEIERUM *Comp. Theol. Posit.* P. I. Cap. V. §. 15. b. & HAMMOND *Paraphrase and annotations upon the Books of the Psalms* p. 457.

q) Aut, si etiam paulo moderatius de vitæ suæ termino naturali statuit, sibi polliceri potuit ætatem sexagenariam, ex vulgari illa Judæorum sententia, qui sexagenarium hominem morti maturum esse statuunt, ex numero vocis בְּכֶלַח JOB. V. 26. quod per gematriam, uti appellant facit LV. De quo supra §. VII. mentionem factam esse memini; si modo, quod valde incertum est, ista Judæorum hypothesis tempore Hiskiæ nota fuit, & non potius multo recentioris ævi commentum est.

hanc vita nondum ſatis certo conſtabat, utpote tunc temporis nondum clare ſatis revelata? Ita quidem ſentiunt Sociniani cum Arminianis, docentes: homines ſub V. T. potuiſſe quidem ſperare vitam æternam, eamque etiam conſecutos eſſe, attamen illic eam nunquam fuiſſe promiſſam. r) Sed ceſſabit hæc cauſa aut figmentum potius, ſi ex noſtratium ſcriptis, qui hanc hydram lernæam dudum jugularunt, vel in tranſitu repetemus, quam infirmo hæc Socinianorum theſis nitatur talo. Sexcenta ſane adſunt teſtimonia ſcriptorum V. T. quibus probari poteſt, quod fœdus gratiæ ſeu Evangelium, & in ſpecie etiam promiſſiones de vita æterna olim piis perfruenda, ſi non quoad modum & omnes circumſtantias, tamen quoad rem & ſubſtantiam ſub Oeconomia veteri quoque obtinuerint, ita, ut præter promiſſiones terrenas & corporeas factæ etiam Patribus fuerint inde ab Adamo lapſo s) promiſſiones ſpirituales & cœleſtes, ipſique præter fidem generalem in Deum, habuerint quoque ſpecialem in Meſſiam venturum. Audiamus modo *Jobum* illum profitentem: *Novi ego redemtorem meum vivere, & carne mea me viſurum eſſe Deum. Cap.* XIX. 25. quibus verbis ſuffi-

r) Vide SOCINUM *de differ. V. & N. T. f.* 32. SMALCIUM *Diſput. IV.* p. 49, & *diſput. VII.* p. 220. *contra Franzium.* OSTERODUM *Inſtitut. Germ.* C. XXIIX. p. 187. CATECHISMUM *Racov. de Proph. Chriſti mun.* C. V. Q. III. VOLCKELIUM L. III. de V. R. Cap. XI. p. 56. ſeqq.

s) Hoc longe eſt certiſſimum ex promiſſione iſta ſolenni evangelica de ſemine mulieris, caput ſerpentis contrituro GEN. III. 15. quam nullo probabili argumento de temporali aliquo beneficio accipere poterant protoplaſti; accedit uſus ſacrificiorum a Deo in paradiſo inſtitutorum, illa enim exemplo *Abelis* πίστει offerebantur, & πίστει placebant Deo. EBR. XI. 4. Omnis fides refertur ad promiſſionem aliquam ſive bonorum temporalium ſive æternorum & cauſa æternæ ſalutis. De Enocho Pauli teſtimonium eſt multo dilucidius v. 5. Is transferendus ad Deum *credebat*, ſe ad eum translatum iri, quomodo crediſſet ſine promiſſione? Abelis autem fides faciebat illum δίκαιον *l. c.* Habebat ergo promiſſionem de gratioſa peccatorum remiſſione, bono eximio ſpirituali. Confer de hoc Abelis ſacrificio, ejusque in offerendo fide SPENCERUM *de legibus Ebræorum* p. 974. ſeqq.

ſufficienter fidem reſurrectionis & vitæ æternæ exprimit. t) David etiam hac conſolatione ſe erigens, *quod abiturus ſit ad filiolum ſuum mortuum* II. SAM. XII. 23. ſatis ſuperque teſtatur, quod non terrenam ſed æternam vitam expectet; vitam, inquam, in qua fruiturus erat cum filiolo *ſatietate gaudiorum in conſpectu Dei amœniſſimorum.* PSALM. XVI. 11. Qua fiducia fretus exclamat: *Ego in juſtitia videbo vultum tuum; ſatiabor, quum expergiſcar ſimilitudine tua.* PSALM. XVII. 15. q. d. reſurgam a mortuis, & videbo te perfectiſſime ſicut es, & ſimilis ero tibi, quum patefactus fuerit Chriſtus glorioſo adventu ſuo I. JOH. III. 2. u) Quæ & ſimilia non parum roboris adhuc accipiunt ex eo, quod ejusmodi promiſſiones in V. T. factas Chriſtus etiam JOH. V. 39. agnoſcat, quin imo quærentem de mediis vitæ æternæ conſequendæ remittat ad ſcriptum in lege LVC. X. 25. ſeqq. cum clauſula v. 24. fac hoc & vives ex LEVIT. XIIX. 5. Accedit, quod ſpes fidelium, quæ ſub V. T. etiam in ipſa morte ad Deum erecta erat PROVER. XIV. 32. PSALM. LXXIII. 26. non potuerit non eſſe de vita æterna, juxta PSALM XVII. 15. & diſertum Apoſtoli teſti-

t) Quæ verba οἱ ἀντικείμενοι præter rationem ad ſpem de recuperanda ſanitate torquent, voluntque, Jobum ita confirmato fuiſſe animo, ut certo confideret, hoc ſuum corpus vermibus corroſum ſibi propediem reſtitutum iri integrum. Sed per omnes ſuos cum amicis ſermones nihil ſe morte certius expectare affirmat; quo quæſo argumento, quave ſpe tam repente ab illo ſuo metu ad tantam fiduciam de reſtauranda ſibi corporis valetudine erigi potuiſſet? imprimis cum nec jota nec veſtigium hujus ſpei e contextu elici poſſit, ut illum accuratius perpendentibus apparebit. Vide FRIDR. SPANHEMII *hiſtoria Jobi* Cap. XIII. p. 274. ſeqq.

u) Fateor, hoc de Davide ad filiolum abituro argumentum infirmius eſſe, ſiquidem nihil prohibet, ita verba ejus accipi, ut dicat: fruſtra nunc jejunavero, ſiquidem filiolum in vitam hanc e ſtatu mortis revocare non potero, in quem mortis ſtatum ut & ego quondam concedam, lege invicta pridem conſtitutum eſt. Sed ſi cum reliquis allegatis Davidicis locis conjungatur, robore non caret.

testimonium. EBR. XI. 10. seq. Spes autem & fides tam firma, etiam tormenta superans, nulla potuit esse sine promissione. Tandem æterna damnatio ESA. XLV. 17. & absorptio mortis in æternam victoriam *Cap.* XXV. 8, & vita petentibus in perpetuum data PSALM. XXI. 5. non est nisi ipsa vita æterna, *locis citatis* diserte promissa; quo pertinet vaticinum de resurrecturis ad vitam æternam. DAN. XII. 2. Accedit Petri testimonium ACT. X. 43. omni exceptione majus, & illi Servatoris JOH. V. 39. in scriptura, nempe illa V. T. in lege & prophetis habebitis vitam æternam, plane consonum, quo *Cornelii* & familiæ ejus spem de vita æterna fide in Christum consequenda confirmabat: Hunc scilicet Jesum Nazarenum esse, de quo *Prophetæ testentur*, in nomine ejus remissionem peccatorum consecuturos, quicunque credant. Quorsum autem peccatorum remissio, nisi ad vitam æternam consequendam? teste Davide PSALM. XXXII. 1. *beatitudines sunt ei, cui non imputantur peccata*; & Paulo confirmante ROM. IV. 6. Nam de vita æterna sollicitus erat *Cornelius*, ergo de illa Petrus ex testimonio Prophetarum respondebat. x) Provocant quidem adversarii ad appellationem illam, qua tempus V. T. tempus infantiæ dicitur, respectu Novi GAL. IV. 1. 4. item multos reges & Prophetas non vidisse, quod viderunt Apostoli, MATH. XIII. 17. LUC. X. 24. majusque quid in Christi, quam in Jonæ & Salomonis præconio fuisse MATH. XII. 41. seqq. At fuit illud tempus infantiæ non ob nullam hæreditatis divinæ scientiam; sed ob minorem evidentiam viæ eo perveniendi, & propter pædagogiam legis, sub qua continebantur Patres. Alterum quod attinet

x) Conferatur JOH. LUDEW. LINDHAMMERI Erklärung der Apostelgeschichte p. 437. & CASP. HERM. SANDHAGENS wehrter Todt etlicher Heiligen p. 407.

tinet argumentum, Christus ipse omnibus, quæ viderant reges, Jonaque & Salomone præstantior erat, quia erat Dominus de cœlo, cujus adventum omnes expectarent, natura Deus; non vero propter res majores ab illo in N. quam in V. T. promissas. Et non viderunt quidem Prophetæ & reges Christum *incarnatum* & miracula patrantem, viderunt tamen in sacrificiis & typis. Committunt ergo adversarii fallaciam a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter; non enim sequitur, quia reges & Patres Christum non videre *secundum* carnem in opere Prophetico, ergo eum *simpliciter* non viderunt, ergo promissiones per eum de salute æterna mortalibus oblatæ sub œconomia legali ignotæ fuerunt? y)

§. XIII.

Potuit proinde Hiskias ad instantis mortis memoriam cohorrescere, & tamen simul certam spem salutis æternæ a se post mortem consequendæ, promissioni divinæ innixam, animo continere suo sine ullo contradictionis aut pugnæ periculo. Non enim uno eodemque modo sed diversa ratione mors est consideranda. Et quidem B. BRENTIUS duos aspectus seu duas facies mortis constituit; alteram, quæ est sine Christo, & qualis est mors natura sua propter peccatum; alteram, quæ est cum Christo, qualis videlicet mors facta est per Christum,

y) Vide de hac controversia BALTH. MEISNERUM *Consid. Brev. Photin.* *C. V. Art. VII.* p. 738. GERHARDI *Disput. Jen.* P. I. Sect. II. *Disp. XIV.* §. 16. p. 1419. SCHOMERI *theses Antisocin.* p. 179. BROCHMANDUM *in Syst. Theol. T. II. de V. & N. T.* C. II. Q. V. p. 286. seqq. CALOVII *Systema T. VI. Art. IV. de discrimine V. & N. T.* Q. II. p. 490. HOORNBECKIUM *Socin. conf. T. II.* L. II. C. I. p. 268. MARESII *hydra Socin. exp. T. II.* L. III. C. II. p. 74. JOH. CLOPPENBURGIUM *in Comp. Socin.* C. V. p. 78. &, quæ prolixe habet MELCH. LEYDEKKERUS *in vi veritatis de statu patrum sub V. T.* L. V. p. 1. item ABR. CALOVII *disp. de fide veterum in Christum*, *quæ habetur in* THOM. CRENII *Fascic. V. exercitationum* p. 144. seqq.

ſtum, qui expiavit peccata noſtra. Illa eſt facies horribilis, & quam nullus homo ſuis viribus ſine horrore & metu ſuæ perditionis ſuſtinere poteſt; affert enim non ſolum corporis deſtructionem, ſed etiam perpetuam damnationem & ſempiternos animæ cruciatus propter peccata. Hæc eſt jucunda facies, aperiens Paradiſum & hanc lætiſſimam menti ſuggerens vocem: *Hodie mecum eris in Paradiſo* LVC. XXIII. 43. His præſuppoſitis, Hiskiam ad mortis conſpectum ita turbatum eſſe dicit pius Theologus, ut lacrymis effuſis exiſtimaverit ſe perpetuo interiturum, quia in hac tentatione mortem ſine Chriſto aſpexit. z) Dubium tamen non eſt, quin ex illa tentatione eluctatus fuerit, & animum receperit, fœderis divini cum Abrahamo initi, cujus ipſe erat ſoboles, memor. Hinc preces ejus pro vitæ termino differendo fuſas exaudiebat Deus, non exauditurus, ni fide in Meſſiam fuiſſent fundatæ. Habemus hinc perſpicuum argumentum fidei, quæ ſine promiſſione nunquam eſt, & metus mortis, quæ duo in uno eodemque ſubjecto, quamdiu in σαρκοπνευματομαχία conſtitutum eſt, per vices ineſſe ſolent, ita tamen, ut fides metum denique aut mitiget aut plane ſuperet expellatque. Quam enim B. BRENTIVS tradit duplicem mortis faciem, in piis & impiis locum habere ita certum eſt, ut inficias iri non poſſit. Pii enim per fidem in Chriſtum mortem aſpicere poſſunt ut carceris finem, laboris caſſationem, ad portum applicationem, peregrinationis conſummationem, omnium ægritudinum terminum, & acceſſum ad æternam gloriam. Quemadmodum aquæ amaræ e Mara, injecto a Moſe ligno, dulces factæ erant, ut bibere eas Iſraëlitæ potuerint EXOD. XV. 23. 25. ita Chriſtus, lignum vitæ, morti traditus, amaritudinem ei ademit, eamque creden-

tibus

z) Vid. *ejus Commentarium in Eſ.* p. 518.

tibus dulcem reddidit. Impii e contrario de morte cogitantes necessario horrent, sciunt enim eam sibi esse copulam & nexum malorum præsentium & terrenorum cum infernalibus & æternis, ac egressum ex vita temporali in mortem secundam, in qua est absentia omnis boni, & præsentia omnis mali. Isti vere demum sentiunt, quid sibi Apostolicum illud velit: *stipendia peccati mors*. ROM. VI 23. Ast hoc ad Hiskiam pertinere non nisi caute admodum & cum limitatione affirmandum est. Nam quod rex noster mortem sine Christo i. e. absque fide in Christi meritum aspexerit, tacente scriptura, durum omnino asserere videtur, cum potius varia adsint documenta, ex quibus viva Hiskiæ fides elucet, uti paulo ante fuit monitum. Malumus ergo culpam hujus terroris tribuere amori præsentis vitæ naturali. Licet enim mortem læti excipiant, quotquot vera in Christum fide præditi sunt; a) rema-

a) Hæc fides omnium optime mortis metum supprime potest; hinc lætitia piorum in morte multum differt ab illa animi præsentia, qua multi Ethnicorum mortem appetierunt. THEODORUS CYRENÆUS, Philosophus non ignobilis, *Lysimacho* regi, crucem minanti respondit: *Istis, quæso, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest humine, an in sublimi putrescat*. CICERO *Lib. I. Tuscul. Quæst. Epaminandas* Thebanorum dux dicere solebat: *pulcherrimum esse genus mortis, in bello mori;* quod hæc mors primum cum laude fortitudinis conjuncta sit, modo bellum geratur pro patria: deinde brevis, non diu crucians hominem, aut paulatim extabefaciens. ERASMVS *L.V. Apophth.* Et est hominum aliquod genus, quod, quia ad moriendum paratissimum est, proverbio locum fecit, ut *venales circumferre suas animas* dicantur. Ita appellari solent, qui nulla cogente necessitate, ultro in bellum ruunt, & parvo stipendiolo pro alienis aris & focis, extra patriam, in alieno solo, se telis hostium objiciunt; nullam aliam ob causam, nisi ut se operæ domesticæ faciendæ, aut obsequio parentibus præstando, aut familiæ alendæ subtrahant, & interea, antequam ad conflictum perveniant, licentia militari strenue abutantur. Nec desunt hæretici, qui læti pro hæresi mortem adierunt. *Circumcelliones*, genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrarunt, sed nec sibi insana feritate pepercerunt. Nam per mortes varias, maxime præcipitiorum & aquarum & ignium se ipsos necare consueverunt, & in istum furorem alios, quos potuerant utriusque sexus seducere, aliquando ut occiderentur ab aliis, mortem, nisi facerent, comminantes. AVGVSTINVS *de Hæres.* Cap. 69. & CAROL. DV FRESNE *Glossarium* P.I.p.1099.

remanet tamen illis omnibus humana indoles, qua per naturam omnes vitam amamus, & mortem aversamur. b) In morte enim duo conjunctissimi illi amici corpus & anima divelluntur, id quod ægerrime fieri potest; in morte deponendum est hoc corporis tabernaculum; at quis domum suam magnis sumptibus structam ac multa lautaque supellectile ornatam destrui lætus videat? in morte videmus corruptionem; corruptio autem omnis naturæ adversa est, quam quisque in sua integritate conservare discupit. Neque dubium est, quin Hiskias, quatenus homo, affectibus quoque humanis obnoxius fuerit. Idem ergo humani jam quid patiebatur, quod Abrahamus olim, qui metu mortis pudicitiam uxoris prostituebat. GEN. XX. 2. idem, quod Petrus, qui pro Christi nomine a lictoribus cinctus *translatus est, quo noluit.* JOH. XX. 18. idem, quod Paulus, qui mortis periculo, quod ei insidiantes Judæi minabantur, percitus ad Cæsarem provocabat, hac ratione se nacturum sperans aliquam Martyrii, tandem denique quocunque loco ac tempore, certo & necessario subeundi dilationem. ACT. XXVI. Et quare mirum hoc in Hiskia videretur, quum ipse Christus, sanctissimus & a peccatoribus segregatus, mortem naturaliter refugerit, patrique suo cœlesti pro ea a se removenda his verbis supplicavit: *Pater si velles transferre poculum istud a me.* LVC. XXII. 42. Præsertim animum Hiskiæ angebat interruptio studiorum suo-

b) Non solum ergo hominibus mundo deditis mors amara est, sed etiam piis, quibus per Christi mortem mors in somnum suavem conversa est, haud raro cum morte est luctandum. Hinc bene ex AVGVSTINO ANDREAS MVSCVLVS *in LL. CC.* P. II. p. 171. b. *Diem mortis omnes quidem affuturum sciunt, & eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam, qui post mortem se beatius credunt esse victuros. Tantam habet vim carnis & animæ dulce consortium.* Quæ quidem verba conformia sunt dicto Apostoli II. COR. V. 4. *Nos, qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea, quod nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas a vita.*

ſuorum, quæ moriendo imperfecta relinquere cogebatur. Cultum nempe Dei collapſum & adulteratum ad legis divinæ præſcriptum haud ita pridem inſtaurare & reformare cœperat, atque ad Jehovam verum Deum Iſraëlis, eos, qui ex populo ab eo hactenus defecerant, ſtudioſe revocaverat. Decem tribus in Aſſyriacam captivitatem raptæ non ſine ejus condolio e patria exulabant. Duæ tantum tribus, Juda nempe & Benjamin reſtabant, quibus ipſe imperabat; & hæ quoque de ſumma rerum periclitabantur. Accedebat, quod hæredem & ſucceſſorem in dignitate regia non habebat. Quæ & ſimilia intuentem regem pientiſſimum maxime urgebant, ejusque animum procul dubio impellebant, cur de morte prææmatura jam maximopere doleret. Vt taceam inſtans certamen, quod & Hiskiæ noſtro ineundum erat in mortis agone cum ſatana, qui τὸ κράτος τοῦ θανάτου ἔχειν dicitur EBR. II. 4. cum peccato, tanquam aculeo mortis I. COR. XV. 58; cum lege, quæ eſt *peccati potentia* l. c. & cum inferno ipſo. Hoſtes ſane, qui regi pio juſtum incutere poterant terrorem! d)

§. XIV.

Sequuntur porro cauſæ, cur Hiskias tantopere ad mortis imminentis memoriam cohorruerit, quarum altera eſt avulſio a Deo, altera exemtio ab omni hominum conſortio. Priorem illam hiſce verbis nobis exponit: אָמַרְתִּי אֶרְאֶה יָהּ יָהּ בְּאֶרֶץ הַחַיִּים *dicebam, non videbo Jah; Jah in terra viventium.* Videbimus hic *initio*, quid vulgo de hac ſectione ſtatuant interpretes, nam hoc in

d) Vide de his BAIERI *Diſp. Theol. de agone mortis. Jen. 1683.* & confer de cauſis hujus terroris in genere FRANC. BVRMANNI Geſetz und Zeugniß *II. Reg. XX.* p.142. item JOSEPH HALL bibliſche Geſchichte P. II. p. 588.

in gratiam Lectorum non prætermittendum videtur; *tunc* nobis quid videatur, modestissime proponemus, & benevolo legentium judicio permittemus. Et sic quidem vox אָמַר eodem sensu hic redit, quo §. VII. fuit expositum. Sed circa rem ipsam varia eaque majoris momenti adhuc erunt observanda. Objectum primo, quod imposterum se non visurum dolet Hiskias est יָהּ sive *Dominus Deus suus*; quod nomen idem est ac Jehovah, deductum ab הָיָה cujus derivationis auctor est ipse Deus, EXOD. III. 14. ac denotat partim Dei αὐθύπαρξιν, quod per se subsistat, nec ab alio subsistentiam habeat, cum e contrario reliqua entia omnia ab ipso dependeant; partim ejus eminentiam super omnes res creatas; nullum enim essendi modum hoc nomen determinat, sed indeterminate se habet, ut significetur, Deum esse supra omnes suas creaturas, & gaudere modo aliquo existendi & subsistendi tali, cujus similis in omni natura non detur, e) partim ejus immutabilitatem, quæ enim mutantur, esse desinunt, quod aut quale erant, & incipiunt esse, quod & quale non erant; partim denique ejus æternitatem, nam id solum vere, quod æternum est, in temporalibus autem præterita transierunt, præsentia avolant f) & futura nondum adsunt.

e) Vnde etiam Philosophi Deum nec in prædicamento logico esse, nisi reductive, nec definitionem admittere affirmant, quia non habeat *genus* sive conceptum genericum, ipsi cum reliquis entibus communem, quod tamen ad definitionem stricte talem requiritur. Cum enim Deum ens esse dicimus, certe non ita ens est, ut angeli aut animæ humanæ, aut alia quæcunque entia, sed modo multo eminentiori, nempe plane independenter.

f) Tempus enim præsens nihil est aliud, quam momentulum, finiens antecedentem & incipiens sequentem momentorum seriem, estque illud instabile, ut vix omnino concipere possis. Comparatur puncto in linea, quod est finis antecedentis & initium sequentis puncti. Hinc apparet, Deum per hoc vere esse יָהּ sive veram essentiam, quod sine omni momentorum fluxu semper idem est, semper durat, nunquam successionem aliquam in se experitur.

ſunt. g) Eſt itaque hoc nomen *Jah* eodem jure ac *Jehovah* Deo T. O. M. proprium, ita, ut nulli creaturarum ullo modo tribui poſſit, quod quidem Photinianorum grex impugnare ſatagunt, & ad creaturas etiam rapiunt, eo fine, ut argumentum noſtrum, quod pro adſtruenda Chriſti divinitate ex nomine *Jah* & *Jehovah* ipſi in ſacris tributo deducimus, pro hoſtili ſuo in Chriſtum verum Deum animo debilitent. h) Extra omnem igitur dubitationis aleam poſitum eſt, Hiskiam in præſenti Deum ſuum, ens illud ſupremum indicare, & hunc eſſe, qui oculis ſuis per mortem ſubduceretur, illum conqueri, hancque eſſe illam cauſam, cur mortem ſibi imminentem ægerrime ferat. Repetit autem hoc magnum nomen non ſine ſingulari emphaſi. Indicat enim hiſce intenſiſſimum ſuum deſiderium & amorem erga Deum ſinceriſſimum, doletque eo vehementius privationem aſpectus divini impoſterum non exſpectandi; utpote cujus emphaſeos plurima in ſacris literis extant exempla, quibus per ejusmodi

g) Vide JOH. GERHARDUM *Art. de Deo* p.598. PETR. van MASTRICHT *Theol. Theoretico-Practica* L. II. p. 154. JOH. BUXTORFII *diſſertationes Philol. Theol. Diſp. V. de nominibus Dei hebraicis* p. 263. &, qui primo loco nominandus erat, S.R. CHRISTOPH. LUDOV. STIEGLIZII *S.S.Theol. Doct. & apud Numburgenſes Paſtoris Primarii, Collegæ quondam & Amici ſemper æſtumatiſſimi diſputat. doctiſſimam de voce Jehovah Wittenb.*

h) Verba OSTERODI *contr. Trad. Part. II.* Cap. 2. p. 91. hæc ſunt: *ſi vel maxime ex ſcriptura probari poſſet, Chriſtum appellatum fuiſſe Jehovam, non tamen ſequeretur, eum vere eſſe ipſummet Jehovah, ſiquidem angeli multo inferiores Chriſto, propterea quod Jehovæ perſonam ſuſtinuerint, Jehovah vocati ſunt.* Et SCHMALZIUS *contra Ravensberg.* p. 47: *Allata quidem ſunt loca, in quibus nomen Jehovah Deo tribuitur, ſed nullum, in quo dicatur, quod nomen illud ſit ſolius Dei proprium.* Idem pro virili defendit ENIEDINUS *Expl. LL. V. & N. T.* p. 25. cum JOH. CRELLIO *in loco de Deo & Attributis div.* C. IIX. p. 70. Cap. XI. p. 79. Cæterum evolvatur GERHARDUS *l. c.* HUNNIUS *in examine error. Photin.* C. III. Err. I. p. 194. ABR. CALOVIUS *in Syſt. T. II. C. II. Q. VI. de Theol. nat. & rev.* & HIER. KROMAYERUS *in Theol. Poſitivo Polem.* Art. II. Q. I. p. 101. ſeqq.

di epizeuxin animi affectus & ardor indicatur. i) Cæterum, cum Hiskias alias causas, cur mortis necessitatem ægro animo subiret, excitare potuisset, v. g. regiam dignitatem &c. qua imposterum sibi carendum esset; Deum tamen imprimis commemorat, quo carendum sibi sit; hoc ideo factum ab eo esse videtur, ut indicaret perpetuo sibi sui Dei recordationem in animo versari. Nam sicuti in maximis malis imo morte ipsa nihil efficacius nos potest erigere, quam si de Deo cogitemus; ita in hoc suo morbo istis cogitationibus inhærere volupe erat Hiskiæ; exemplo Assaphi illius, in gravissima tentatione dicentis: *Recordor operum Jah, recordor namque ab antiquo mirabile tuum.* PSALM LXXVII. 12. & Israëlitarum in captivitate Babylonica sub magno hostium furore gementium: *Jehovah Deus noster, dominati quidem sunt nobis Domini præter te, tantum tamen per te commemoravimus nomen tuum.* ES. XXVI. 13. Nec est improbabile denique, illum hac τῦ *Jah* repetitione indicare voluisse spem suam, quam semper in Deum collocaverat; & quemadmodum ejus auxilium per omnem ætatem in maximis quoque periculis expertus erat; ita & jam se sperare, fore ut Deus vitæ nostræ autor & statuminator se ex his mortis faucibus velociter ac feliciter eripiat, si ipsi visum foret, secundum promissionem omnibus sibi confidentibus datam: *Ero ergo cum eo in angustia, eripiam*

i) Varia allegavit B. SALOM. GLASSIUS *in Philol. S. Tract. II. C. I. p. m. 1423.* qui etiam in hoc nostro loco illustre hujus figuræ rhetoricæ exemplum inveniri putat. Recte autem epizeuxin esse hanc repetitionem asseritur propter accentuationem in fontibus, ubi prius illud יָהּ habet *sakephkatonum*, accentum majorem distinctivum; unde hic sensus: *non videbo Deum; Deum, inquam,* (non videbo) *in terra viventium.* Alias posset, ni accentus prohiberet, esse appositio, non videbo Dominum Dominum, uti alias sæpe: Ich werde in dem Lande derer Lebendigen den HErrn HErrn nicht sehen. Sed multo minori cum pondere, quam fit per epizeuxin; quam etiam B. LUTHERUS in sua versione egregie expressit, quem videat, cui lubet.

piam eum, longitudine vitæ saturabo eum, & ostendam ei salutem meam. PSALM. XCI. 15. 16. Non ignorans *Jah* illum esse, *qui occidat & vivificet, qui descendere faciat in infernum, & ascendere faciat.* I. SAM. II. 6. ut igitur & hic merito in numerum eorum referatur, qui, monente Hieropsalte, onus suum super Jehovam projiciunt, ille enim sustentat suos, & non dabit in æternum dimoveri justo. PSALM. LV. 23. nam juxta illud tritum:

Spes confisa Deo, nunquam confusa recedit.

§. XV.

Hunc *Jah se non visurum* dicit Hiskias, utiturque verbo רָאָה quod in prima sua notione significat *vidit, aspexit*, atque objecti realis realem apprehensionem involvit. k) Præter hunc significatum autem diversimode adhuc usurpatur ista vox in sacris literis, quando v. g. videre idem est, ac aliqua re frui; sic enim *semen videre*, dicuntur, qui numerosa prole gaudent, & ad quod respicitur ESA. LIII. 10. quo loco de maxima multitudine eorum sermo est, qui per prædicationem Evangelii in Christum credituri erant, allusione ad illos, quibus Deus in hac vita multam sobolem dedit; aut *bonos dies videre* dicuntur, qui felicem & fortunatam vitam in hoc ævo agunt. PSALM. IV. 7. ECCL. V. 18. Item, ut cætera tacea-

k) *Doctissimus* BOHLIUS radicem hanc per *experiri* exponit, imo ex significatione mista *dijudicandi* רְאִי *stercus*, quasi discretum & dijudicatum deducit. Sed refutat eundem GUSSETIUS *in Lexico linguæ Hebr.* ad nomen רָאָה p. 1454. *edit. Lips.* Nescio tamen, quam solide. Nam quod ait, experiri & prospicere, si non opposita, tamen esse disparata, nihil contra BOHLIUM facit. BOHLIUS enim non ait, רְאוֹת esse, sibi prospicere, quod potius est GUSSETII, ideoque BOHLIO non opponendum; sed *experiri*, quod cum τῷ *videre*, bene convenit. Vt, si dico, videbo, quid hostis meus contra me ausurus sit. Quid hoc est aliud, quam, *experiar?*

taceamus, videre haud raro ponitur pro diligenter attendere & accurate considerare, uti per ἀνθρωποπαθειαν hoc sensu videre tribuitur Deo, homines & facta eorum diligenter observanti EXOD. XXXII. 9. PSALM. XIV. 2. l) De quo autem videndi modo & genere hic loquatur Hiskias, non immerito apud doctos interpretes, illos nempe, qui τό *Jah* de Deo proprie & essentialiter accipi ab Hiskia putant, quæritur? Id quidem certum est, regem, si τὸν *Jah* proprio significatu in mente habuit, non intelligere visionem illam, quæ fit oculis corporeis; sic enim competit Deo ἀοϱασία, estque in se & sua natura invisibilis, prout ipse testatur Mosi, visionem gloriæ divinæ sibi expetenti: *Non videbit me homo & vivet.* EXOD. XXXIII. 20. m) Cum quo consentit Christus dicens: *Deum nemo vidit unquam.* JOH. I. 18. & Paulus: *habitat lucem inaccessibilem, quem nemo hominum videt, neque videre post.* I. TIM. VI. 16. Id quod & ipsi saniores confessi sunt gentiles. Neque hic nobis obstant variæ Dei apparitiones. Multoties enim legitur nonnullis patribus apparuisse Deum sub V. T. v. g, Abrahamo, Mosi, Jacobo ac Prophetis; hoc enim factum esse in assumta forma externa hominis, aut per aliam subjectam creaturam, per columnam ignis & nubis, per rubum ardentem, per formam rotarum varie circumactarum EZECH. I. &c. statuendum est, quacunque voluerit specie, & quomodocunque; nullo modo autem visus est a quoquam in substantia Deitatis suæ, quæ omnino invisibilis

l) Vid. PETR. RAVENELLI *Bibliothecam Sacram ad vocem videre.*

m) Hoc accipiendum esse non in *sensu diviso*, quasi possit Deus oculis corporis videri, licet interim homo a majestate divina absorberetur, sed in *sensu conjuncto*, q. d. nullus homo vivus me videre potest, commode annotavit JOH. GERHARDUS *in loco de Deo* p.750. confer. etiam ANDR. RIVETI *Comment. in Exod.* p.295.

sibilis est, & incommutabilis. n) Certum porro est, Hiskiam in præsenti neutiquam loqui de visione illa beatifica, qua Angeli boni, & omnes beati cœlites aliquando in vita æterna Deum cum gaudio aspicient. Licet enim ista beatitudo tanquam bonum essentiale cœlitum nec ulli finaliter in Christum credenti, nec regi nostro denegari queat; o) hic tamen iis, qui Hiskiam de *Jah*, de Deo Trinuno hoc loco loqui existimant, obstant ipsa Hiskiæ verba in textu dicentis, se non visurum esse *Jah in terra viventium*; quam viventium terram nonnulli de terra Judaica & imprimis Hierosolyma exponunt, illam enim terram Deus Israëlitis habitandam dederat, ejusque incolæ soli vivebant non tantum corpore, sed etiam anima, cui verbum Domini veram afferebat vitam, hinc etiam David; *Videbo bonum Jehovæ in terra vitæ* i. e. redibo in terram, unde ejectus nunc sum exul, scilicet regionem

n) Loquitur ita ALCVINVS L. II. *de Trinit. Cap. 16.* licet hanc ejus opinionem non sit, quod amplectamur, qua in favorem Photinianorum statuit, visiones illas, quæ in V. T. patribus factæ leguntur, per angelicas administrationes factas esse; id quod ex locis EXOD. III. & ACT. VII. operose quidem, sed admodum frustra probare studet. vid. GERHARDVM *l. c.*

o) Denegant tamen *Armeni*, quorum mentem explicat ARMACANVS L. XIV. *de quæst. Armenorum*, sententes, Deum a beatis in cœlo nec videri, nec posse videri, prout in se est, sed lucem tantum & claritatem quandam a substantia divina emanentem, in qua Deus ipse tanquam sol in splendore suo refulgeat, sed errorem hunc ostenderunt HVLSEMANNVS *Brev.* C. XVI. T. IV. p. 264. BODECHERVS *Socin. Rom.* Cap. XIX. 144. JOH. PELTIVS *Harm. Rem. & Socin.* Art. XXII. §. III. Cæterum de quæstione illa an beati cœlites oculis corporis Deum aliquando visuri sint, videri potest, quæ habet GERHARDVS *l. c.* JOH. ERNEST. GERHARDI *diss. de natura & quidditate luminis gloriæ*, &, ut reliquos taceamus, HOE *ab* HOENEGG *disput. contra Julianum Poniatovium a Duchnicki.* Imprimis B. BEIERVS adiri meretur, qui in *compendio theologiæ theticæ* P. I. C. 6. §. 2. & 18. rationes in contrariam sententiam & pro visione mere intellectuali adducit, ita tamen moderate, ut alteram opinionem de visione oculari non statim rejiciendam affirmet. Conferri quoque meretur quod doct. noster JOH. PHIL. CASSELIVS, Vir, non sine honoris præfamine nominandus, de *visione Dei* habet, in eruditissima commentatione *de gloria Iesu Christi in regno gratiæ* ad Esa. VI. 1-4. Part. I. p. 15.

nem Judaicam, & inspecie metropolin Hierosolymam. PSALM. XXVII. 13. p) Alii *terram viventium* de vita præsenti in genere explicant, ut igitur ex illorum sententia sensus sit: non visurus sum *Jah* in hoc mundo inter viventes; quomodo & Esaias mortem Christi prophetans dicit: *excisus est e terra viventium* i. e. vita privatus est. *Cap.* LIII. II. & Jeremiæ hostes jurati minantur: *exscindamus eum e terra viventium* i. e. tollamus eum ex hoc mundo & vita JER. XI. 19. q) Quicquid autem sit, sive de Hierosolyma sive de hac vita in universum accipiatur *terra viventium*; loquitur tamen Noster de se tanquam adhuc viatore r) felicitatem comprehensorum futuram expectante. s)

§. XVI.

p) Vid. MOELLERI *Comment. in h. l.*

q) Et hoc sensu, qui illo priori de terra Palæstina, quippe aliquantulum coacto, sine dubio multo est probabilior, opponitur *cœtui mortuorum* לִקְהַל רְפָאִים PROVERB. XXVI. 16. & per terram viventium intelligitur id, quod poëtæ appellare solent *superas auras*, in oppositione *averni* aut *inferorum*; juxta illud *Virgilianum: Facilis descensus averni est -- sed revocare gradum, SVPERASQVE EVADERE AD AVRAS, hoc opus hic labor est.*

r) Vbi tamen facere non possum, quin Judæorum in Talmude, & imprimis quoque ABARBANELIS sententiam adducam, hæc verba omnino de statu Hiskiæ post mortem interpretantium. Supra recordor fuisse ex iis observatum, quod *τὸ morieris* de morte ejus æterna, & *τὸ non vives* de temporali exponant. Huc ajunt respicere Hiskiam hisce suis verbis, iisque metum suum, ne æterna & beatifica Dei visione excidat, indicare. Verba ABARBANELIS *super Esa. XXXVIII.* ita translata accepi: *Pergit rex: dicebam, non videbo Dominum, Dominum inquam in terra viventium; nec videbo etiam homines amplius cum incolis hujus ævi i. e. ecce cogitabam in animo meo, patres prisci ævi, illi sancti, omnes prolongarunt annos suos, juxta illud Psalm. XC. dies annorum nostrorum sunt LXX. imo his plures.* Hinc opinio mea est, quod, qui cum abbreviatione suorum annorum moritur, non modo amittat hanc vitam temporalem, sed & futuram; nam phrasis ista in lege, *excisio dierum* docet de pœna animæ, ut contra, prolongatio annorum justis collata, docet de eorum justitia. Sic cum dicitur ES. XXXIII. *ult.* & non dicit incola, *æger sum*, docet illud de longitudine vitæ temporalis, tanquam de signo innocentiæ animæ, & vitæ spiritualis. Hinc ait Hiskias, postquam mihi moriendum est per abbreviationem annorum meorum, ego hinc colligo, me amittere annos utriusque seculi tum hujus, tum futuri: & hoc est quod dicit: non videbo

Jah;

§. XVI.

Si tamen dicendum, quod res est, salva eorum, qui ista statuunt, autoritate, rectius paulo visionem hancce regiam interpretantur alii de contemplatione Dei, qua *Deus videtur* vel in cœtibus Ecclesiasticis, in quibus cultus divinus peragitur, quare alias cœtus istos frequentantes *ante faciem Dei apparere* dicuntur, PSALM. XLII. 3. qui se præsentem promisit in nomine suo congregatis. EXOD. XX. 24. t) vel in operibus, quæ fecit, ut ipsum cognoscant homines. Quare gentes inexcusabiles putat Apostolus, Deum negantes, quia æterna ipsius potentia & deitas perspiciatur ex operibus creationis. ROM. I. 20. vel in beneficiis, quæ mortalibus exhibet, ut bono suo fruantur, suamque benignitatem experiantur, quam in rem David exclamat: *Gustate & videte Jehovam esse bonum* PSALM. XXXIV. 9. Hoc itaque volunt auctores, qui τὸ *videre Deum* dicto modo exponunt, Regem vehementer dolere, quod sibi non amplius detur occasio, Deo publice in suo templo inserviendi, utpote quem cultum patres sui tanti æstimaverint, ut *David*

Jah; in terra viuentium, quod intelligit de splendore Schechinæ sive gloriæ Dei in altera vita; quod autem pergit: non videbo homines &c. hoc de præsenti ævo intelligit, qua sibi etiam carendum fore queritur.

s) Non ergo referendus est Hiskias ad nostri temporis Enthusiastas, somniantes, in hac quoque vita visionem Dei intuitivam obtingere vi luminis illius immediati ac seminis substantialis, quando, ut loqui amant, fermentavit hominem. Vide Enthusiastas recentiores Theologorum mysticorum placita de vita contemplativa pervertentes, apud JAC. THOMASIUM *Schediasm. Histor.* §. 52. num. 28. p. 57. seqq. & JOH. SCHELHAMMERI Widerlegung der Postill *Val. Weigelii.* Cap. X. XI. XII.

t) Huc pertinet etiam ESA. I. 12. ubi venire, ut conspiciantur coram facie Dei Judæi dicuntur ad tria festa solennia, in atria templi confluentes; quia, quicquid in atriis & in sancto agebatur, ante faciem Domini fieri dicebatur. Causa erat hujus loquendi rationis, quod Deus in Schechina sive gloriosa nubis inhabitatione, in sancto sanctorum versus occasum habitans Judæos ab ortu templum intrantes ante faciem oculorum suorum habebat. Vide GUSSETII *Lex.* p. 1455. *edit. Lips.*

David hoc unicum sibi a Jehovah expetierit, ut nempe sibi manere liceret in domo ejus per omnes dies vitæ suæ, ad videndum suavitatem Dei, & ad visitandum templum ipsius. PSALM. XXVII. 4. u) hoc dolere, quod morte defunctus, magnalibus Dei ejusque providentia, qua populum suum duceret, amplius delectari nequeat; hoc denique illum dolere, quod gratia & beneficiis divinis, quæ cumulatissime hactenus expertus fuerat, & quæ ad præsentem præsertim vitæ necessitatem æque ac suavitatem pertinebant, imposterum uti neutiquam sit integrum. Non equidem parum mirari possis, regem ista dolere, qui tamen sciverit, se jam per mortem beatam ad illum statum perventurum, ubi multo majori sanctitate Deum colere, majori gaudio ad Deum efferri, majori denique bonorum cœlestium copia frui possit? Quam ob rem D. Paulus: *Dum habitamus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem; Confidimus tamen, & probamus magis peregrina-*

u) Ita plane, consentiente ABR. SCULTETO *in Conc. IV. in Es. XXXVIII.* p. 495. sentit *Targum Jonathanis*, cujus Chaldaicam versionem ita latine translatam in opere *Waltoniano* legimus: *Dixi, non amplius apparebo in conspectu terribilis Domini in terra domus majestatis ejus, in qua est longitudo vitæ, & non serviam coram eo amplius in domo sanctuarii, unde futurum est, ut egrediatur gaudium omnibus habitatoribus terræ; neque morabor in Ierusalem civitate sancta.* Et sane haud longe a Jonathane recedunt, illo tribus circiter seculis antiquiores Alexandrini *Interpretes Græci*, vulgo LXX. dicti, ita παραφράζοντες: εἶπα, ἐκ ἔτι κμὴ ἴδω τὸ σωτήριον Θεᾶ ἐπὶ γῆς ζώντων, ἐκ ἔτι μὴ ἴδω τὸ σωτήριον τᾶ Ἰσραὴλ ἐπὶ γῆς. Vbi per σωτήριον Θεᾶ & Ἰσραὴλ, quod se adhuc quidem vidisse ait, sed *amplius non* visurum conqueritur sine dubio salutare officium sacrificiorum in templo, & salutarem eorum applicationem ad Messiæ satisfactionem, uti Sacerdotes & Prophetæ illam habitis ad populum orationibus proponebant, intelligit. Vt enim hoc σωτήριον de Messiæ incarnandi persona intelligamus, quanquam Simeon ille senex ipsa hac voce Messiam incarnatum appellat LVC. II. additum tamen τὸ, ἐκ ἔτι, *non amplius*, prohibet. Indicat hæc particula rei antea visæ continuationem; Messiam autem incarnatum in propria persona Hiskias nondum viderat, ergo non poterat dolere, quod illum non amplius visurus, interveniente morte temporali, esset.

grinari e corpore, & habitare apud Dominum. II. COR. V. 6. 7. Aſt erat tamen, cur ejusmodi dolorem jam ſentiret rex pius. Primo enim juxta §. II. verum Dei cultum haud ita pridem reſtauraverat, & a variis corruptelis, imprimis turpi gentium idololatria purgaverat; nunc vero morti proximus non ſolum ipſe a templo, cujus ſtudioſiſſimus erat, avellebatur, ſed etiam ſua autoritate & exemplo, deficiente adhuc hærede & ſucceſſore pio, alios ad hoc pietatis ſtudium excitare non amplius poterat; prævidebat potius, brevi collapſurum, quod paulo ante reſtauraverat. In hoc enim Hiskia nutritium habebat Eccleſia, qualem ipſi promiſit *Eſaias Cap.* XLIX. 23. *ſint reges nutritii tui, & principes eorum lactatrices tuæ.* Jam vero quam ægre nutrix, quæ mater ſimul eſt, a puerulo lactante per mortem amovetur? Deinde citra ſpem & opinionem mors obveniebat Hiskiæ, cum nondum ſatis ad tanti momenti mutationem paratus ſibi videretur, quæ eſt fidelium etiam nonnunquam ὀλιγοπιστία & animorum infirmitas, & nondum in eo eſſet, ut læto ac tranquillo animo ad illam piis etiam animis tremendam æternitatem ire poſſet. Nihil ergo magis in votis habebat, quam ut ſibi copia tabernaculum Dei ingrediendi fieret, ad εὐθανασίαν penitius addiſcendam, mentemque contra mortis terrores obfirmandam. Exemplo Simeonis illius, qui tamdiu in templo commorabatur, dum corroborato rerum divinarum contemplationibus animo, Jeſuque in ulnas ſuas ſuſcepto, mundanas res expeditiſſimo ore valere juberet: *Nunc dimittis*, inquiens, *ſervum tuum Domine juxta verbum tuum in pace.* LVC. II. 28.

§. XVII.

Hæc hactenus. Expoſitum ſcilicet fuit, quid in hoc viſionis tum objecto tum modo interpretibus videatur.

Quorum aliqua ita ſunt comparata, ut ſenſum propinent & commodum & contextui convenientem; cui haud difficulter poſſet ſententiæ & ex omni parte ſubſcribi. Nec ego is ſum, qui tantos viros docere, aut ab iis diſſentire auſim. Quia tamen libertatem in rebus ſacris, ad fundamentum fidei non pertinentibus, modeſte aut diſſentiendi, aut de ſuo ingeniolo aliquid addendi nunquam improbavit Eccleſia; tanto confidentius ſpero fore, ut, quid mihi hæc meditanti in mentem venerit, & annon fortaſſis præter iſta a viris doctis dicta, in iſta ſua querela ad aliam adhuc doloris ſui materiam atque cauſam reſpexerit Hiskias? docto & æquo lectori dijudicandum relinquam. Conſtat nempe inter omnes, nomen *Jah* ac *Jehova* imprimis Chriſto Meſſiæ Dei filio dari abſolutè & ſimpliciter. x) Sic EXOD. III. 15. legimus: *dices ad filios Iſraël: Jehovah Deus Iſaaci & Deus Jacobi miſit me ad vos; hoc nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Erat autem rubus ardens nec conſumtus, unde hæc verba ad aures Moſis allabebantur, Symbolum humanæ Chriſti naturæ, ab inhabitaturo illam Deo non deſtruendæ; & habitans in rubo Meſſias erat. y) Et paulo poſt *Cap.* VI. 3. *nomen meum*

x) Licet nimis frigidum ſit, quod autores quidam volunt, vocem decurtatam diminutum quaſi denotare Deum, i. e. Chriſtum hominem factum & pro peccatis noſtris paſſum. Vide SIXTINI ab AMAMA *Antibarb.* p. 475. & JOH. HENR. HOTTINGERI *Diſp. Theol. Faſciculus Diſp.* IV. p. 266.

y) Confer. GLASSIUM *de arbore vitæ* L. IV. C. VII. p. 289. & BOTTSACCII *Allegor.* p. 366. ſeqq. Et quemadmodum hæc conſtans Patrum doctrina eſt, Angelum Domini, qui in rubo apparuit, ipſum Dei filium fuiſſe; ita GREGORII MAGNI Lib. XXIIX. *Moral.* C. II. T. I. Opp. col. 940. hæc ſunt: *Per ſuccenſum rubum Moſen alloquens Deus, quid aliud oſtendit, niſi quod ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis, carnis noſtræ dolores quaſi rubi ſpinas ſuſciperet; & inconſumptam humanitatis noſtræ ſubſtantiam etiam in ipſa divinitatis flamma ſervaret?* Nec diffiteri id poſſunt ipſimet Pontificii, quorum aliqui haud dubitarunt, a pervulgata apud ſuos opinione recedere, & veram noſtram de Angelo increato ſententiam tueri. Fecit hoc par Jeſuitarum

meum Jehovah non indicavi eis. Præsertim notatu digna sunt verba Prophetæ dicentis: *in diebus ejus salvabitur Juda, & Israël habitabit secure, & hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum Jehovah justitia nostra.* JEREM. XXIII. 6. Id quod dilucidius aliquantulum patebit, si accuratam & diligentem collationem instituimus locorum V. & N. Testamenti, in quibus ea, quæ in V. T. de *Jehovah* vero Israëlis Deo prædicantur, in N. T. de Christo incarnato asseruntur. Hoc modo v. g. verba Mosis: *tentabant Israëlitæ Jehovam.* NVMER. XIV. 22. Apostolus Paulus de Christo, ab iis tentato interpretatur. I. COR. X. 9. & quæ Moses de liberatione populi Israëlitici ex Ægypto habet, EXOD. XX. 2. *Ego Jehovah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* & DEVTERON. XXXII. 12. *Jehovah solus duxit eum, nec fuit cum eo Deus alienigena*; JVDAS *in Epist.* v. 15. de Christo dicit: *Volo vos istorum commonefacere, ut qui semel hoc sciatis, Dominum, cum populum ex Ægypto liberasset, rursus eos, qui non credebant, perdidisse*; quem Dominum v. 4. affirmat *esse Jesum Christum.* Et videamus modo PSALMVM XLV. quem totum de Christo agere omnes circumstantiæ & imprimis *Epistola ad Ebræos* probat. *Cap.* I. 9. XV. 7. 8. z) Et quæso quot sunt loca in scriptis Novi fœderis, in quibus, quæ in Veteri de *Jehovah* prædicantur, expressissime referuntur ad Christum? Sufficiat nobis, jam provocare ad allegatum PSALM. XL. 8. *unxit te Deus tuus, o Deus! oleo lætitiæ* quod

 ACT.

tarum celeberrimum, ALFONSVS SALMERO *Comment. in I. Cor. X. Disp. XVII.* & ANTONIVS FERNANDIVS *de Visionibus V.T. Vis. VI. Comment. II. Sect. I.* p. 179. quibuscum transigant duo alii Jesuitæ, creatum angelum tantopere propugnantes, PERERIVS *Comment. h. l. Disp. VI.* & CORN. A LAPIDE *h. l.* p. 372.

z) Confer MART. GEIERI *Commentarium in hunc Psalmum* p. 779. BOYS Schrifft Latern p. 301. BALTH. OSTEN *Epithalamium Christi Sponsi & Ecclesiæ Sponsæ.*

ACT. X. 38. Petrus expresse affirmat ad Christum pertinere, *Deus unxit Jesum Nazarenum spiritu*; nec non ad PSALM. XLVII. 6. collato EPHES. IV. 8. & PSALM. CX. I. collato MATH. XXII. 44. & Jesum Nazarenum, servatorem nostrum incarnatum Patribus sub œconomia legali *Jehovam* appellatum fuisse, quam plurimis aliis exemplis, si opus esset, comprobare possemus. a) Constat porro, quanto animi affectu fideles V. T. Messiam expectarint, utpote qui nihil magis in votis habebant, quam primo quoque tempore promissum sibi יֵשַׁע sive in carne Jesum videre. Ipsa omnium mortalium mater Eva, Cainum jam enixa, Messiam se in lucem edidisse credens exclamabat: *Kanithi f. possedi virum, qui Jehovah est.* GEN. IV. I. b) Post illam Jacobus Patriarcha flagrantissimum suæ animæ & reliquorum suæ ætatis piorum suspirium ac desiderium, quo in Messiam ferebantur, hisce verbis exponit: *salutem tuam exspectavi Domine.* GENES. XLIX. 18. c) Idem quam sæpius

a) Vid. JOH. GERHARDI *Disput. Isagog. Disp. V.* p. 193. PAVLI TARNOVII *Lib. de Sacrosancta Trinitate* p. 738. &, qui per inductionem omnium exemplorum commonstrarunt, *Jehovam* Messiam intelligi, quoties alicujus angeli mentio fit, cui nomen *Jehovæ* in casu recto tribuitur JOACH. LANGIVM *in causa Dei* T. II. p. 359. seqq. cum B. PHIL. JAC. SPENERO *in testimonio de æterna Christi divinitate* p. 286. seqq.

b) Rabbini quidem cum aliis hac fuerunt sententia, quod Eva de Caino ut nudo homine, sine aliquo sublimiori sensu præsens oraculum protulerit, &, *habeo nunc virum, edidi nunc in lucem partu meo* אִישׁ *sobolem masculam* אֶת יְהוָה *cum Domino, Deo omnipotente.* At quam columbe hoc sit, quis non videt? nam quos etiam post hunc partum primum edebat, omnes etiam אֶת יְהוָה *cum Deo* edebat. Ad solum potius Messiam hæc verba referenda esse probat inter alias quam plurimas rationes vel ipsa onomatothesia, quia neque *solus vir*, neque *solus Jehovah*, sed vir *Jehovah* puer natus dicitur, qui non potest alius esse, quam unicus Messias, qui simul *vir est* i.e. semen mulieris, seu verus homo, & *Jehovah Deus* & verus θεάνθρωπος. Vide JOH. DEVTSCHMANNI *disp. de semine mulieris in viro Jehovah ad Genes. IV. I.*

c) קִוָּה quo hic utitur Jacobus est *anxie præstolari, incumbendo expectare*; & πεποίθησιν infert, uti exponitur ES-

IIX.

pius Ecclesia Judaica per Davidem & sanctos Prophetas exoptabat, de quo jam sufficiant verba PSALM. XIV. 7. & LIII. 7. *Quis dabit ex Zion monte sancto salutem Israël in reducendo captivitatem populi?* i. e. utinam aliquis daret ex regia Zionis familia *Jeschua*, quod expressum nomen Messiæ est, & extra quem nulla salus. ACT. IV. 12. d) ad quod deinde piorum desiderium sine dubio alludit optimus salvator, Judæis dicens: *Abrahamus pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit, ac gavisus est.* JOH. VIII. 56. & discipulis suis: *Beati oculi, qui vident, quæ videtis. Dico enim vobis. quod multi Prophetæ & reges voluerint videre, quæ vos videtis.* LVC. X. 23. 24. En! vero ad istam desiderantium regum classem Hiskiam nostrum referre, non video, quid impediat. Pietatem scilicet & fidem Hiskiæ jam supra perspeximus, & eam ob causam dubium non est, quin inter reges fuerit, a Christo loco ex Luca citato, commemoratos,& quin ad sanctam hanc voluptatem Jesu adventum in vita sua attingendi impulsus fuerit, quem in carne vidisse multo post Hiskiam optat AVGVSTINVS. Incidebat porro Hiskias in annos Esaiæ, quibus clarior lux de Messia subinde affulgebat, cum hic Propheta revelare de Christo inciperet, quæ antea nemo audiverat, v. g. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuël, Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum*

IIX. 17. confer etiam PSALM. XL. 2. de qua interpretatione vide *Systema Theol.* CALOVII T. VIII. p. 61. quam suam quoque fecit JOH. AD. OSIANDER *in Comment. super h. l.* p. 699. eodem etiam exponit modo MERCERVS *in Lexic.* PAGNINI. *Verbum hoc*, ait, *significat, magno animi desiderio in aliquem intentum esse, atque ex eo pendere.* Et B. GEIERVS *in Comment. ad h. l. p. 681.* dicit: *Opponitur hæc expectatio cum firma fiducia conjuncta, impatientiæ ac diffidentiæ, quæ oriri solet auxilio paulo diutius retracto.* Emphasin insuper & significationem hujus vocis קוה vide etiam in *Disp. nostra inaugurali de Vinea Dei Judaica satis quidem culta sed ad modum sterili* §. XV p. 28.

d) Sic exponente GEIERO *l. c.* p. 196. confer HACKSPANII *notas Philol. P. II.* p. 62.

malum & eligere bonum. Cap. VII. 14. 15; & hic ab Esaia promissus partus *virgineus* debebat esse certum signum proxime instantis liberationis a furore Syrorum & Israelitarum. Hoc spem Nostro facere poterat, adventum Messiæ proxime fortassis instare, e) quem se visurum hoc modo certe opinabatur. f) Ast cum hac spe sua per intervenientem mortem frustrari se intelligeret, justo dolore correptus, in ista erumpebat verba, *non videbo Jah Messiam incarnatum, in terra viventium.* Vt non omittam, quod Hiskias hac sua ætate nondum haberet sobolem; postquam vero haud ignorabat, Messiam ex

e) Sententiam R. HILLELIS de adventu Messiæ jam in diebus Hiskiæ facto, evolve in SCHIKARDI *Jure regio Hebræorum* p. 477.

f) Possem ad Alexandrinos interpretes provocare, qui expresse τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, quod se ἐπὶ γῆς ζώντων non amplius visurum queritur Hiskias; quod σωτήριον in N. T. Jesum notat: sed τὸ οὐκ ἔτι, *non amplius*, ut supra dixi, prohibet; nec opus est externo testimonio, cum, quæ allata sunt argumenta, rem satis probabilem faciant. Interim expendat B. Lector, annon, quæ EISENMENGERVS im entdeckten Judenthum refert, huc quodammodo, allegari possint? Is enim P. II. p. 670. observat, Judæos inter alias dilati adventus Messiæ caussas etiam impœnitentiam suam regumque suorum allegare. Jam, cum post impium Ahasum rerum Judaicarum potiretur pius hic Hiskias, hoc ex hypothesi Judaica spem facere poterat & toti genti, & ipsi imprimis Hiskiæ, nunc adesse tempus Messiæ; qua spe, cum videret se ob urgens fatum excidere, nec se, quem animo conceperat, a se videndum *Jah*, Messiam conspecturum intelligeret, hinc illæ lacrymæ, illi gemitus! Cæterum de spuria hac caussa Messiæ adventum impediente, scilicet impœnitentia, vide locum ex Talmude apud RAYMVNDVM *in pugione fidei* P. II. C. X. §. 9. *edit. Lips.* p. 401. Spuriam appello caussam, quia Deus nusquam locorum adventum Messiæ vel a pœnitentia vel impœnitentia suspendit, sed simpliciter eum promisit. Interim potuit tamen hæc caussa, in se non genuina, ex hypothesi movere Hiskiam, ut sunt etiam pii homines ab erroribus non immunes, ut crederet, Messiæ adventum propter suam pietatem sperari posse. Obiter addo ob cognationem materiæ, quanquam non omnino huc pertinere videatur, quod etiam hanc valde tamen frivolam & inficetam commorantis Messiæ caussam in eo quærant, quod nondum omnes animæ, quas Deus ab initio simul creavit, in corpora sua descenderint. Non veniet, inquit, R. ASE Messias, donec omnes animæ, quæ sunt in Guph, consumtæ fuerint i. e. cum corporibus suis successive generandis, conjunctæ. Est autem Guph cellarium, in quo omnes animæ humanæ, ab initio creatæ, sunt repositæ. apud RAYMVNDVM *l. c.* P. II. C. XIII. §. IV. p. 441.

ex regia Davidis ſtirpe, quam ipſe tunc ſolus ſuſtentabat, proditurum; hinc eo magis, nec immerito, inſtantem mortem horrebat. g)

§. XVIII.

Altera cauſa, ob quam ad imminentis mortis memoriam Hiskias contremiſcebat juxta initium §. XIV. eaque ex privatione quadam orta, hæc erat, quod ſe avelli ab hominibus videbat; quorſum hæc verba; לֹא־אַבִּיט אָדָם עוֹד עִם־יוֹשְׁבֵי חָדֶל h.e. *non intuebor amplius homines apud habitatores mundi.* Recurrit ergo hic iterum *viſio*, quam rex alio nomine, ſcilicet נָבַט voce deſcribit, quæ intueri plerumque ſignificat, & hic viſionem, quæ oculis corporis fit, conjuncta tamen cum approbatione, amore & conſideratione, involvit, fere ut gallice, *regarder a quelqu' un, avoir égard a luy*, vel germanice **auf einen ſehen.** h) uti v. g. Deus, ſe nec holocauſta Judæorum acceptare, nec Minchas eorum *reſpicere* aſſeverat. AMOS V. 22. aut Elias ſe regem Iſraëlis conſiderare negat. II. REG. III. 24. Eodem igitur modo ſe non amplius viſurum Hiskias putat, & quidem *homines*, אָדָם proprie *hominem*, quod collective ſumitur pro hominibus, more

g) Hujus conjecturæ nos nunc tanto minus piget, poſtquam jam ante nos THEODORETVM, THOMAM HVGONEM, LEONEM CASTRIVM cum aliis citante ALVAREZIO & CORNELIO A LAPIDE *in Comment. ad h. l.* p. 361. idem ſtatuiſſe ex JOH. CONR. FEVERLINI *noviſſimorum primo*, **das Ende menſchlichen Lebens**, qui liber poſt hanc ſcriptionem jam a nobis abſolutam caſu ad manus veniebat, intelleximus. Vti etiam, quod DAN. HEINSIVS *Simeonem* illum apud LVC. II. 30. ad hunc noſtrum locum Eſaianum reſpexiſſe exiſtimet. Verba HEINSII *in Exercitationibus Sacris* p. 141. hæc ſunt: *Operæ cogitare eſt, quem locum reſpexerit vir ſanctus* (Simeon.) *Apud Eſaiam C. XXXVIII. nobilis Ezechiæ inſeritur hiſtoria, cui cum mors a propheta eſſet nunciata, impos ſui, gaudioque plenus in hæc verba erumpit:* Non videbo *Jah* &c. quod tetragrammato reſpondet nomini. Quem locum feliciſſime invertiſſe ac reſpexiſſe hic dicas: cum de hoc (ſcilicet Meſſiam in carne vidiſſe) gloriatur, quod negatum ſibi ille (Hiskias) querebatur, nihil elegantius.

h) GVSSETIVS *ad hanc vocem* p. 941.

re Scripturæ S. quæ ſæpius ſingularem numerum ponit pro plurali; & tunc ſingularitate plus ſignificat, quam pluralitate. i) Quemadmodum vero homines in pios & impios recte diſtinguuntur; ita, quale hominum genus hic intelligat Hiskias? non immerito quæri poſſet. Veruntamen de hoc morum diſcrimine hoc loco diſceptari neceſſe non eſt, cum non ſit dubium, illum utrosque & bonos & malos in animo habuiſſe, cum hominum conſortio ſibi carendum fore impoſterum, doleret. Quanquam enim juſti haud libenter injuſtos aſpiciant, non tamen Hiskias ſui ævi improbos ita averſabatur, ut, illos intueri nequiret, quos adhuc a Deo averſos ſciebat, quosque ad officium ſuum & verum Dei cultum a ſe revocari poſſe ſperabat; magno illo Chriſti exemplo, qui etiam urbi Hieroſolymæ appropinquans, eamque intuens ſuper ea flevit. LVC. XIX. 41. & peccatores publicanosque, phariſæos & Sadducæos, aliasque perditas oves de domo Iſraël tantum aberat, ut averſaretur fugeretque, ut potius quæreret, cumque illis non ſine voluptate verſaretur, a ſuperſtitione & aliis pravis moribus eos avocaturus, perque pœnitentiæ concionem beatis ſedibus illaturus. Cæterum quod ad pios attinet, dubium non eſt, quin illi hic præcipue reſpiciantur. Paribus enim cum paribus, & piis cum piis dulciſſima conſuetudo intercedit, hinc David: *Oculi mei erga fideles terræ, ut ſedeant mecum; ambulans in via integri, hic miniſtrabit mihi.* PSALM.

i) Ejusmodi exempla quam plurima collegit SALOM. GLASSIVS *in Philol. ſ. Grammat. p. m. 436.* quibus addi meretur præſtantiſſimus ille locus JOH. I. 29. *ἴδε ὁ ἀμνὸς τȣ̃ Θεȣ̃ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τȣ̃ κόσμȣ.* ſuper quæ verba ita THEOPHYLACTVS: *Quare non dixit peccata? ſed peccatum in genere dixit & de omnibus; ſicut enim dicere ſolemus: defecit homo i. e. omnis humanitas a Deo: ita & hoc loco dicens peccatum, omnia peccata ſignificavit.* LVTHERVS *quoque in Comment. Cap. II. Geneſ.* huc refert appellationes arboris vitæ, & arboris ſcientiæ boni & mali.

PSALM. CI. 6. & cum homo ſit animal ſociale, neque poſt regenerationem naturam & affectus humanos exuat, duplici nomine aſpectu piorum gaudet; tum, quia homines ſunt, nobiliſſimi omnium viſibilium creaturarum, ex uno ſanguine facti ACT. XVII. 26. tum, quia per Spiritum S. ſunt regeniti, & tanquam membra Chriſti veram demum acceperunt pulchritudinem CANT. II. 10. quæ pias mentes fortiſſime allicit trahitque, atque in ſpirituale conſortium multo vehementius rapit, quam corporum forma carnales homines ad mutuum conſortium movet. GEN. VI. An tamen imprimis oculos ſuos hiſce verbis converterit in regni ſui primates ac miniſtros, quemadmodum dubium quidem nullum eſt, quia quibus familiariter utimur, ut rex ſolet aulicis & conſiliariis ſuis, uxore liberisque, ab iis ægerrime divelli ſolemus; ita certe ex voce אדם vix probari poſſe exiſtimem. Licet enim nomen אדם ſæpius viris non infimæ conditionis, Principibus terræ, & ſancto Eccleſiæ ſemini tribui ſoleat, v. g. PSALM. CXLVI. 3. PSALM. CXV. 12. PROV. VIII. 31. k) negari tamen non poteſt, τὸ אדם ſæpius homines communis ſortis indicare, cum τῦ אדם & τῦ איש & τῦ בְּנֵי אדם & בני איש hominum plebejorum & honoratiorum manifeſta ſit oppoſitio. PSALM. XLIX. 3. ESA. II. 9. & imprimis aulici Saulis, hoſtes illo tempore Davidis, בני איש appellantur PSALM. IV. 3. Quod autem in אדם per certam *Kabbalæ* l) ſpeciem, ubi ex ſingulis certi vocabuli literis certas voces effingunt, Judæi Deum, Davidem & Meſſiam quærunt, אדני, דויד, משיח, m) ideo-

k) Vide CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERI *Decimas Sacras Obſ. L. p. 534.*

l) Quam oſtendit doctiſſime Dn. M. JOH. JVLIVS STRVVE, *ſenex ac ſenior noſter venerabilis in rudimentis logicæ Ebræorum* p. 48. ſeqq.

m) Vt eſt apud HOTTINGERVM *in hiſtoria creationis* p. 257.

id eorum nugandi libidini eſt tribuendum, aut certe ad dignitatem non certarum perſonarum humani generis, ſed potius ad præſtantiam totius ſpeciei humanæ pertinet. Ergo mallem Hiskiam hac voce אדם omnes ſuos incolas & ſubditos, quos intenſiſſime amabat, curabat & in animo ferebat, intellexiſſe. Sicut autem pater amans liberos amatos non ſine dolore & lacrymis relinquit; ita rex noſter quam ægerrime a ſuis diſcedebat. Habes igitur hiſce, quid reſpondeas mirantibus hunc tam moleſtum & difficilem abitum Hiskiæ ex hoc mundo. Quanquam enim juxta effatum Apoſtoli totus mundus in maligno jacet, I. JOH. V. 19. quanquam *væ ſibi putabat David, quod peregrinetur in Meſech & habitet in Kedar*, PSALM. CXX. 5. quanquam Elias & omnes pii mundum primo quoque tempore deſerere exoptarunt I. REG. XIX. 4. detinebat tamen Noſtrum piorum conſuetudo & commune cum iis pietatis ſtudium; detinebat eum ſtudium regnum Dei inter ſuos magis magisque amplificandi, detinebat eum deſiderium multos adhuc Deo lucrificandi, omnibusque porro tanquam Patronus & defenſor ſuccurrendi.

§. XIX.

Supereſt adjunctum aliquod illius ſtatus, in quo cum hominibus nullum ſibi commercium amplius futurum eſſe Hiskias queritur, & quale illud ſit, cum varia rerum adjuncta ſint, videndum. Appellat ſcilicet in textu: עִם־יוֹשְׁבֵי חָדֶל quod LUTHERUS reddidit: **bey denen, die ihre Zeit leben;** quæ verba magnam multis crucem fixerunt. Hinc JOH. COCCEJUS. n) tranſtulit per *habitatores nihili*, & vult, regem hic putare, mundum, in quo hoc noſtro ævo vivitur, ea ex ratione, quia non

n) *In Lexico ad vocem* חֶדֶל p. 217.

non ſolum per omnipotentem Dei manum ex nihilo factus, ſed etiam inconſtantiæ & vanitatis plenus, atque aliquando ſub adventum Chriſti ad judicium in nihilum redigendus ſit, ita appellari. STOCKIVS o) AVENARIVS & MERCERVS p) per *mundum* & *tempus* exponunt, ita, ut חדל per metatheſin literarum idem ſit ac חלד, quod proprio ſuo ſignificatu tempus & mundus dicitur, uti videre eſt ex quinque illis locis in quibus eadem vox habetur. q) Simpliciſſimum autem omnium, minimeque coactum eſt, ſi literarum eo ordine, quo in hac voce extant, habita ratione noſtrum חָדֵל a חָדַל deſcendere affirmamus, quod eſt *ceſſavit* aut *deſiit*; quod quidem a nonnullis ad mundum quoque applicatur, utpote qui aliquando ceſſabit ac deſinet. Licet vero hæc ita ſint, quod partim mundus propter futurum ſuum interitum dici poſſit ſeculum ceſſans & caducum, r) juxta

o) *In clave L. S. ad h. v.*

p) Qui in PAGNINVM ſcribit; hoc nomen non tam denotat humanæ vitæ terminum, quam totum vitæ curriculum, & tempus humanæ vitæ præfinitum, quod cito ceſſat & deficit - - poſſis *ſeculum* latine dicere.

q) Scilicet JOB. XI. 17. PSALM. XVII. 14. PSALM. XXXIX. 6. PSALM. LXXXIX. 48. & PSALM. XLIX. 2. quanquam Syris חלד ſit *loca profunda fodere, irrepere, & ad interiora penetrare*, ſicut etiam Talmudicis nonnumquam ſignificat *ſuffodere, perforare*. Prolixe hoc nomen deducit FVLLERVS l. III. *Miſcell.* C. 14. quod juxta AQVILAM idem ſit ac καταδυσις h. e. tum *latibulum* aut *caverna*, tum *latitatio* aut *irreptio*; i.e. actus aut conditio latitantis in latibulo; quod ulterius illuſtrat ex terræ hujus ſitu remotiſſimo ratione orbium cœleſtium, quorum reſpectu appellatur infima, inſtar latibuli profundi caliginoſa &c. item ex antiqua mortalium in ſpecubus terræ latitatione, cum nondum operoſa eſſet domuum exſtruendarum ratio inventa; quomodo & nomen אֹהֶל *tentorium* tributum ſæpe legitur ædibus, ob antiquam Patrum in tentoriis commorationem &c. vide etiam BOCHARTVM T. I. *Hieroz.* p. 1030. Cæterum radice verbali nomen hoc caret, parumque lucis accipere poteſt ex Rabbinico themate חלד *rubiginoſum eſſe vel fieri*, niſi R. SALOMONIS notam velimus admittere ad PSALM. XL. 2. חלד היא מפני שהיא נישנת וחלודה h. e. *terra appellatur* חֶלֶד *eo, quod ipſa inveteraſcat, & rubiginem quaſi contrahat.*

r) Neutiquam enim facimus cum illis Philoſophis Judæis & Empæctis, qui mundum æternum eſſe ſtatuunt, quia domi-

juxta effatum Christi: *cœlum & terra* παρελεύσονται *transibunt* MATH. XXIV. 35. &. ESA. LI. 6. *tollite in cœlum oculos vestros, & spectate ad terram desubter: nam cœlum sicut fumus evanescet, & terra sicut vestis inveterascet.* Partim homines in hoc mundo viventes utique יוֹשְׁבָיו ejus inhabitatores dici possint, utpote quibus mundi palatium Deus inhabitandum dedit, teste *Esaia, Cap.* XLV. 19. *Jehovah non ad inanitatem creavit terram, sed ad inhabitandum formavit eam;* & suffragante Paulo: *Deus fecit ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terræ, definitis præstitutis temporibus, & positis terminis habitationis eorum.* ACT. XVII. 26. Obstare tamen videtur, quo minus חדל hoc loco pro mundo accipi possit, tum quod dicta metathesis literarum τῦ חדל & חלד a doctis Philologis satis probari non potest, ita ut חֶדֶל idem sit ac *seculum orbis*, tum etiam, quod, posito hoc, sensus non rite procederet, qui iste foret: *nunc non amplius videbo homines apud vel cum illis qui in hoc ævo & mundo vivunt,* quod superfluum foret, dum hominum viventium jam mentio facta erat in voce אדם, atque inter homines & inter incolas mundi nullum est discrimen, aut sane propheta

domicilium & scabellum pedum Domini dicatur ESA. LXIV. 15. sementem & messem æstatem ac frigus nunquam peritura esse Deus promiserit GEN. VIII. 22. & mundus tot seculorum decursu invariabilis steterit; cum tamen cœlum & terra domicilium Dei ideo appellentur, quod in iisdem, quamdiu extant, suam præsentiam manifestat, terra autem scabellum pedum ejus, quia quæcunque in hoc orbe sunt, ejus dominio ita subjacent, ut scabellum ei, qui illud pedibus suis premit, cæteroqui Deus Spiritus independens & infinitus nec domicilio egeat, nec scabello opus habeat, cum habitet suavissime in se ipso; Deus porro vicissitudines sementis & messis, frigoris & æstatis promiserit, non simpliciter & absolute, sed cum aliqua restrictione scilicet, uti in textu est, quamdiu stabit terra, at hac destructa mobiles illæ rerum vices omnino cessabunt; & sicut tandem mundus ex voluntate creatoris tot seculorum decursu stetit invariatus; ita & ex voluntate creatoris interibit. Confer HOLLAZII *Examen Theol.* P. II. p. 793.

pheta hanc deſcriptionem incolarum hujus mundi immediate voci אדם adpoſuiſſet, hoc modo לא אביט עוד אדם יושב חדל i e. *non videbo amplius homines, habitatores hujus mundi.* Reddimus igitur noſtrum חָדֵל ſecundum proprium ſuum ſignificatum per *ceſſationem* & יושבי חדל ſubintellecto ב ante חדל per habitantes in ſilentio ſive ceſſatione, s) quales ſunt omnes demortui, qui in ſilentio & quiete jacent, & ab actionibus mundanis plane ceſſant. t) Dolet ergo Hiskias hoc loco, quod cum his habitatoribus ceſſationis per mortem jam conjungendus & impoſterum habitaturus, homines hujus mundi amplius videre nequeat. u)

 §.XX.

(s Aut etiam ſine hac ellipſi τȣ̃ ב qua dicitur v. gr. יֹשְׁבֵי הָעִיר *incolentes urbem* : ita *h. l. incolentes ſilentium.* Loca videantur in *Concordantiis hebraicis.*

t) Cave tamen dicas, animas hominum poſt mortem dormitare, quod Socinianis quidem videtur, eam inter alia ob rationem, quia *beati morientes in cubicula ſua recedere jubentur* ESA. XXVI. 20. quæ cubicula putant eſſe locum ſilentii & oblivionis. Vide SCHLICHTINGII *Expoſ. Symboli* ad illa verba : *deſcendit ad infernum* & SCHMALZIUS *Exam. Centum Error. ad errorem 81.* p. 33. inquit : *anima ſine corpore nullas operationes exercere poteſt.* Contra autem obſervandum eſt, quod a quiete in oppoſitione ad moleſtias & pericula hujus vitæ ſpectata ad ceſſationem ab omni actu non liceat argumentari, ſeu ut argumentum ex PS. VI. 5. 6. & PS. CXV. 17. deſumtum, ubi dicitur : *mortem non confitebuntur, non laudabunt te,* reſpondit B. SCHERZERUS *in Collegio anti-Sociniano* p. 1166. a negatione actus in Eccleſia militante ad negationem actus in Eccleſia triumphante non valet conſequentia. Certe enim animas quieſcentes conſolationem percipere, cantare triſagion, & alia ſimilia operari in Scriptura Sacra paſſim legimus. Optime hinc CICERO L. V. de finibus : *ſi quispiam ita nonaginta annos velit vivere, & cum ſexaginta vixerit, reliquos dormiat, ne ſues quidem id velint,* & B. AUGUSTINUS contra fabulam de ſomno Johannis Evangeliſtæ in ſepulchro, *non conſentaneum* eſſe ait, *ut ei diſcipulo Jeſus, quem præ cœteris diligebat, pro magno munere longum in corpore ſomnum daret.* Cœterum hanc controverſiam ex profeſſo pertractatam vide apud SCHERZERUM l. c. p. 1140. ſeq. Celeberrimos Elmſtadienſium Theologos nempe Summe Venerab. Abbat. CHRIST. TIM. SEIDELIUM im Sendſchreiben von dem Seelenſchlaf & Doctiſſ. SCHUBERTUM in der Rede von dem Seelenſchlaf nach dem Tode, nec non incomparabilem Hallenſium Doctorem BAUMGARTEN in der Beantwortung Joh. Heyns Sendſchreiben vom Schlaf der abgeſchiedenen Seelen.

u) Atque ita per hanc explicationem Hiskias luctum ſuum deſcribit a circum

§. XX.

Sed progredimur ad tertiam Hiskiæ causam, ex qua ipsi subnascitur mortis terror, & ex abbreviatione vitæ inopinatus mœror. Ad hanc causam, quod attinet, eam proponit nobis rex hisce verbis v. 12. דּוֹרִי נִסַּע וְנִגְלָה מִנִּי Hæc

cumstantia *loci*; cum in *loco*, inquiens, *mortuorum ero, non licebit mihi amplius versari cum hominibus;* aut etiam *temporis;* quo tempore *inter mortuos versabor, hominibus amplius frui non potero.* Nec diffiteor hanc imprimis mihi probari sententiam, tum, quia contextui & vocum significationi bene respondet, tum & quia eandem JARCHII esse video, cujus hæc sunt verba ex translatione BREITHAUPTI p. 217. *inter habitatores mundi*, i. e. *quando ero inter mortuos, qui habitant in terra, quæ cohibita est a viventibus*, i. e. *quam viventes non incolunt.* Quanquam non inficior, haud valde improbabile etiam videri, si hæc verba ad circumstantiam sive adjunctum concomitantiæ referantur, hoc sensu: *imposterum non videbo homines cum* (reliquis) *orbis hujus incolis* i. e. nec homines videbo, nec cœteras creaturas, hanc orbem incolentes v. g. varia volucrium, ferarum, insectorum, reptilium, piscium genera, admiranda illa creatoris sapientissimi opera; quæ impendio miratur & commendat David tum alibi tum PSALM CIV. *per totum fere*, His enim, cæterisque creaturis etiam inanimatis, earumque contemplatione quis non delectetur vivus, quis non ægre careat moriturus? nisi quod amor Dei & felicitas beatæ æternitatis multo major amorem harum rerum pereuntium in moribundis supprimit, animosque illorum ad æternorum & nunquam cessaturorum bonorum desiderium elevat. Et nihil est in textu, quod hanc explicationem non admittat. Nam 1) חֶדֶל omnino æque ac חֶלֶד esse potest *ævum hoc*, in quo & homines & cæteræ creaturæ versantur, per literarum transpositionem non simpliciter repudiandam, qualia multa sunt v.g. כבש & כשב *agnus*, עולה & עולה *æquitas*, שלמה & שמלה *vestis*; 2) phrasis יֹשְׁבֵי de creaturis cæteris præter homines frequentissime usurpatur, v. g. PSALM. XXIV. 1. *Domini est terra, & plenitudo ejus; orbis &* וְיֹשְׁבֵי בָהּ *incolæ ejus*; quod posterius est ἰσοδυναμῶν cum priori מְלוֹאָהּ cum plenitudine terræ, quæ sunt creaturæ terram implentes, 3) Ellipsis τῶ *reliquis* (cum reliquis creaturis) non minus cum hebraismo bene convenit, nec linguæ sanctæ est infrequens; ut, cum in codice commemorantur sol, luna & stellæ; PSALM. VIII 4. CXXXIX. 9. IEREM. XXXI. 35. i. e. *& reliquæ stellæ*, siquidem sol & luna etiam sub genere stellarum continentur, & stellæ sunt. 4) KIMCHI testimonium accedit, qui *ad h. l.* τὸ לא אראה יה *non videbo Jah*, interpretatur ita: *non contemplabor amplius Dominum, nec cognoscam eum ex inspectione creaturarum &c. in hac viventium.* Hoc visum est addere, non, quod illam meam explicationem deseram, sed, ne quid intactum relinquam, & quia hæc posterior interpretatio speciosa est, & nihil a genio linguæ sanctæ & a probabilitate alienum continet.

Hæc enim conjungenda ſunt, quia per accentuationem arcte cohærent, imprimis quod ad duo prædicata duplici verbo expreſſa, attinet; habent enim illa *ſervum*. Hinc preſſe ſic reddenda ſunt: *Generationem meam* (quod attinet, propter Rhebiam) *translata & remota illa eſt a me*. Videndum eſt ante omnia de verbis, eorumque emphaſi. LVTHERVS: **Meine Zeit iſt dahin und von mir aufgeräumet.** LXX. ἐξῆλθε καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' ἐμοῦ. Sed multo plus eſt in vocibus. Nam נִסַּע *Niphal* a radice נָסַע *profectus eſt, abiit*, uſurpatur de violenta evulſione, qualis eſt, cum paxilli, quibus funes, expanſum tentorium ſuſtinentes, ſunt alligati, e terra extrahuntur, quod ſinè vi admota fieri nequit. ESA. XXXIII. 20. aut cum ingentia ſaxa e lapicidinis non ſine magno conatu eruuntur. I. REG. V. 17 aut cum Simſon fores urbis Gazæ cum obicibus e cardinibus ſumma vi removebat JVDIC. XVI. 3. x) Τὸ נִגְלָה autem a radice גָּלָה *revelavit, retexit*, & complura alia ſignificante, ut Lexica docent; in *Niphal* inſpecie *translatus fuit ex alio loco in alium*, uti fit per גָּלוּת & גּוֹלָה per *exilium*, ubi exules, non volentes excedunt patria, ſed obtorto veluti collo ac prorſus inviti a victoribus tempore belli, aut a lictoribus, cum exilium pœnæ civilis rationem habet, rapiuntur & exturbantur; vide omnino ESA. XXII. 17. Sed quid inde? Hoc ſcilicet, ut indicet Hiskias, vitam ſibi violenter eripi. Conſtat enim, mortem ſenum & aliorum naturali virium defectu abeuntium eſſe minus dolorificam, & paulatim deficiente humore & calore radicali, vix perſentiſci, uti ſolet pomum maturum ultro decidere, aut folium tempore autumnali ſponte defluere; quod longe ſecius fit in juvenibus, quos peſtilentia aut febris ardens,

aut

x) Allegante JARCHIO *ad Eſ.* XXXIII. 20. *e verſione & notis* BREITHAUPTII p. 198. ſeq.

aut alius vehemens morbus aggreditur, corpusque veluti admotis arietibus expugnat, non sine insigni dolore, ut cum quis pomum nondum maturum summa vi ab arbore abripiat. Indicat ergo Hiskias hac utraque voce per eximiam emphasin violentiam pestiferi illius morbi, animam sibi e corpore, virili adhuc robore valente, summo nisu evulsum iri, quod sine intensissimo cruciatu fieri non poterat. Illud autem, quod a se tam violenter removeri queritur, est דּוֹרִי, quod דּוֹר est a radice דּוּר vel דּוֹר, quæ triplicem in sacris literis obtinet significatum. Primo enim idem est ac גּוּר *peregrinari* sive *habitare*; altera significatio hujus radicis est in nomine דּוּר *strues materiæ combustibilis* sive *pyra* & *rogus*, uti in EZECH. XXIV. 8. tertio denique significat *generationem, & ætatem*, sive sit multitudo hominum una viventium, sive tempus in quo vivitur, aut tempus vitæ, quo homo in hoc mundo peregrinatur. y) Jam vero, quæ significatio τȣ̃ דּוֹר hujus sit loci, ab interpretibus quæritur? Alii enim propter hanc vocis ambiguitatem intelligi dicunt habitationem, alii ætatem, imo alii addunt generationem. Et cum Poëta noster נִסַּע adjiciat, de quo jam vidimus, auferri, transferri; vertunt quidam z) *generatio mea ablata est*, & per *generationem* vitæ regiæ tempus intelligunt, ac si Hiskias hoc modo doleret, ætatem sibi ante tempus præripii a) non quidem, quod Deus terminum vitæ Hiskiæ æterno & immutabili suo decreto præ-

y) Vide ROBERTSONIUM & COCCEJUM *ll. cc.*

z) Citante MATTH. POLO *in Synopsi criticorum ad h. l. p. 350.*

a) Sic LXX. κατέλιπον τὸ ἐπίλοιπον τῆς ζωῆς μȣ, *deserui reliquum vitæ meæ;* quæ verba videntur esse explicatio antecedentium, ἐξέλιπεν ἐκ τῆς συγγενέιας μȣ utrumque enim in hebræo non est, hinc, quod initio per συγγένειαν μȣ verterant, hoc enim est דּוֹרִי, illud altera phrasi ad æquivocationem τȣ̃ דּוֹרִי tollendam & ad indicandum, τὸ דּוֹר hoc loco ætatem & vitam significare, clarius reddunt.

præfixum accelerarit, utpote qui post quindecim demum annos, ut exitus probavit, elapsus fuit; b) Sed, tum quod illos vitæ annos, quos homo per naturam vivere potest, & de quibus Moses PSALM. XC. 10. *Quantum ad dies annorum; in iis septuaginta anni; & si in extensionibus octoginta;* vix dimidia ex parte attigisset; tum quod spe sua de longiori vita falleretur; tum quod expectatio omnium bonorum, qui vitam ejus longiorem speraverant & exoptaverant, haud quaquam impleretur. Quidam non solum de tempore vitæ, sed etiam de posteritate nostrum דורי accipiunt, cujus spem omnem sibi tolli rex eo vehementius queratur, quo magis promissio illa divina ruere videbatur, cum David audiret: *Erit lucerna Davidi servo meo omnibus diebus coram me in Hierosolyma urbe, quam elegi mihi, ut ponam nomen meum ibi.* I. REG. XI. 36. c) Præterea ἀτεκνία in V. T. plerumque pro pœna habebatur, uti videre est in exemplo *Rahelis, Hannæ* &c. reapse autem, quod in hac tractatione jam sæpius dictum est, Hiskias, quo tempore ægro-

b) Nam per vim morbi naturaliter moriendum fuisset Hiskiæ isto decubitu; verum quia Deus lacrymas ejus & pœnitentiam ac preces ab æterno præviderat, illarum respectu infinita sua misericordia commotus decreverat illi quindecim annos addere. Vt adeo hoc Dei decretum non posset quidem mutari; est enim Deus ἀμεταμέλητος καὶ ἀκίνητος, non tamen ideo esset *absolutum* sub infallibili vero certitudine circumstantiarum Hiskiæ a Deo præcisarum, Deum enim præscientia sua fallere nequit, certissimum.

c) Sic Chaldæus, cujus paraphrasin latinis verbis ita eloquitur ejus interpres in *bibliis Waltonianis*: *habitaculum meum succisum est.* (Sequitur nunc hujus phraseos obscurioris ex mente Chaldæi interpretatio, id est) *a filiis generationis meæ ablati sunt dies mei.* Hunc sine dubio JARCHIVS imitatus est, ita rem eloquens: *filii generationis meæ recesserunt a me*, ex versione citati sæpius BREITHAVPTI p. 218. Qui verborum sensus alius esse nequit, quam hic, destituor sive careo filiis generationis meæ, mori cogor ἄτεκνος. Alias recedunt a nobis, cum morimur, filii & amici nostri, nos deserentes. Verum illud hoc loco Hiskias in mente non habuit, quia ei nondum erant, qui se morientem derelinquerent.

ægrotabat, hærede carebat. Dolebat igitur, non ſe ſolum, ſed etiam nomen ſuum atque familiam extingui. Quidam denique vertunt, *habitatio mea receſſit*, q. d. alio mihi demigrandum eſt; per mortem enim hanc noſtram habitationem derelinquimus, affirmante PAVLO; *non habemus hic manentem urbem, ſed futuram quærimus.* EBR. XIII. 14. In hoc doctorum interpretum divortio quo ſe vertat ipſe VITRINGA neſcit, libereque fatetur, ſe nondum omnem hujus Metaphoræ venuſtatem aſſecutum eſſe; interim tamen negat, ætatem hic intelligi, quæ eſt generatio hominum eodem tempore inter ſe viventium, græcis γενεὰ d) & quidem ex hac ratione, quia hoc ſenſu generatio hominum, cujus partem rex expleverat, ab ipſo non migravit; licet iſtam interpretationem illi præferendam eſſe exiſtimet, qua per vocem דור ſucceſſionem Hiskiæ, uti jam dictum eſt, quidam indicari rentur, ac ſi quereretur rex hactenus improlis, ſpem obtinendæ poſteritatis ſibi periiſſe; durum enim eſſe e) ſpem ſucceſſionis amotam comparari cum tentorio in

d) Juxta SVICERVM *in Theſauro Eccl.* P. I. p. 743.

e) Poſſet tamen *doctiſſimo* VITRINGÆ contra hancce tropi duritiem objici, quod Catachreſis, (ſic enim appellant Rhetores illam figuram, qua quid duriuſcule & ab allegoria remotius dicitur, quam etiam nitidiſſimi latini græcique autores, quos claſſicos appellant, non nauſeant, exempla videantur v. g. in VOSSII *partitionibus oratoriis ſuo loco*) in ſacris ſit frequentiſſima, de qua, ne longus ſim, allegaſſe jam ſufficiat B. GLASSIVM *Philol. S. L. V.* Tr. I. c. 18. p. m. 1933. Vt taceam ABARBANELEM comparationem inter mortem in ἀτεκνία & inter ſublationem tentorii paſtoritii ſatis commode oſtendiſſe, & duritiem omnem ſuſtuliſſe videri. Ita enim *Comment. ad h. l.* ait, & loquentem adducit Hiskiam: Et quia illi non erant liberi - - inquit: *generatio mea ſublata eſt a me ut tentorium paſtoris*, quod ſolent removere a loco ſuo, ita ut ne veſtigium quidem ſuperſit aut memoria illius. Sic mea ſtirps mecum ita per mortem tollitur, ut nulla mei remaneat recordatio. Hæc ABARBANEL. Habemus ergo non incongrue oſtenſum tertium comparationis inter דור & אהל paſtoris, quod in plenaria omnis poſteritatis remotione conſiſtit. Nam qui liberos poſt ſe relinquit, non plane moritur, ſed in poſteritate ſua adhuc quodammodo vivit.

in alium locum translato, de quo mox §. seqq. plura. Quando autem, quid ipse de hac re sentiat, sibi dicendum est, retinet quidem significationem habitationis, doctis Magistris ABENESRAE & KIMCHIO comprobatam, & adstruente etiam loco PSALM. LXXXIV. II. in quo ista phrasis דור באהלי רשע *habitare in tentoriis improbitatis extat*, ast simul addit, subintelligi debere ipsum *corpus*, in quo animali vita vivitur; *domicilium* in quo anima magis peregrinatur & hospitatur, tanquam in tentorio mobili, quam vivit, tanquam in domo fixa & stabili. Hancque suam sententiam suffulcire allaborat effato illo Petrino, quo per tabernaculum cito deponendum itidem corpus indicatur. Verba Apostoli hæc sunt: *scio, quod festinans sit depositio tentorii hujus*. II. PETR. I. 14. f) Nihil est, quod doctis his cogitationibus movere audeam, quanquam existimaverim, istud דור omnium optime per *vitam* explicari posse, explicante ipso Hiskia, qui paulo post vitam sibi præcidi adjicit.

§. XXI.

Illustrat nunc rex noster hanc causam sui luctus, scilicet suam repentinam e vivis ereptionem duplici similitudine, quarum prior petita est a *tentoriis pastoritiis*, ita dicens: כְּאֹהֶל רֹעִי i. e. *transportata est a me scilicet* דּוֹר *ætas & vita mea ut tentorium pastorale*. Quod אֹהֶל quidem originem trahit a voce אָהַל *tendere, expandere*, & usurpatur vel de fixione aut motione tentorii, uti GENES. XIII. 12. de Abrahamo scribit Moses: וַיֶּאֱהַל *& tetendit* sive tentoria movit *usque ad Sodomam*, item v. 18. & tentendit sive movit tabernaculum refigendo ex priore loco in alium, *& venit & habitavit in quercubus Mamre*; g) vel de extensione

f) VITRINGÆ *Comment. in h. l.* p. 337.

g) Ita quoque Latini τὸ *tendere* ponunt pro

sione luminis, quo sensu JOB. XXV. 5. legimus: *ecce usque ad lunam, & non* יַאֲהִיל *expandet*, scilicet lumen suum in modum tentorii. Est enim illa a corpore lucido radiorum circumfusio instar cujusdam tabernaculi in orbem expansi, in cujus medio sedet corpus lucidum, quale est sol aut luna. h) Sed nomen ipsum אֹהֶל in variis locis varie accipitur. i) Κατ' ἐξοχὴν significat tabernacula sacra, cultui divino in V. T. dicata; sive sit Mosaicum illud prius, quod in deserto procul a castris Moses jussu Dei exstruebat, EXOD. XXXIII. 7. quodque אהל מוער *tabernaculum conventus* aut condictionis vocatum est, quia non solum in illo Moses conventum suum cum Deo habebat, sed etiam populus ibi conveniebat, quoties de religione & Justitia cum Mose agendum erat; sive sit Davidicum in monte Zion, quod arcæ fœderis tetenderat David, postquam illam cum tripudio ex ædibus Obed Edom accersiverat. II. SAM. VI. 17. & I. PARALIP. XVI. I. sive denique sit illud tabernaculum fœderis, quod itidem Moses divino nutu juxta exemplar in monte ostensum ex voluntariis oblationibus populi magnis sumtibus ornatissime fecerat. EXOD. XXVI. & XXVII. k) Interdum etiam per metaphoram אֹהֶל denotat

pro *extendere tentorium*. Sit nobis exemplo VIRGILIVS *L. II. Æneid.* v. 29:

Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.

Item LIVIVS de coarctatione omnium in angustia tendentium loquitur *L. VII. de bello Maced.* & SALVSTIVS: *sæpe tendentes* i. e. alibi atque alibi tentoria figentes, *alia deinde alia* loca petiverant. *In bello Jugurthino.*

h) Vide JOH. de PINEDA & SEB. SCHMIDII *Comment. in h. l.*

i) Lege DAN. FESSELII *adversaria sacra* L. VIII. Cap. 7.

k) Confer de tribus commemoratis tabernaculis, & imprimis eorum ultimi appellatione, præparatione, structura & usu immortalis nominis Theologi & Lubecensium Præsulis JOH. GOTTLOB CARPZOVII quem Deus in solatium Ecclesiæ suæ ad Nestoreos annos servet, *Apparatum Antiquitatum Hebr. in* GOODWINI *Mosen & Aaron* nuper non fine

notat Ecclesiam militantem N. T. uti ESA. LIV. 2. *dilata locum* אָהֳלֵךְ *tentorii tui, & cortinas tabernaculorum tuorum expande.* Nam tabernaculum V. T. varias ob causas Ecclesiæ N. T. typus fuit l) confer APOC. XIII. 6. XV. 5. XXI. 3. Præcipue sicut tabernaculum fuit portatile, m) sic Ecclesia in deserto hujus mundi est ambulatoria. Imo per Catachresin אהל accipitur tum pro quovis fixo domicilio, quod nunc ex lapide vel ligno exstructum venit in locum tentoriorum, in quibus olim habitabatur JUDIC. XX. 8. I. SAM. XVII. 54. JOB. XXI. 18. &c. n) tum pro arce, urbe aut pago DEUTER. XVI. 7. PSALM. LXXVIII. 55. 67. Proprie tamen אֹהֶל est *tentorium*, quod extendi & complicari, huc & illuc transferri solet, quali aut peregrinus in itinere, aut miles in castris pro diversorio utitur. Hic vero Hiskias expresse meminit אהל רעי o) sive tentorii pastoralis, idque dicit pro more regionis suæ, in qua pastores in sylvis aut campo aliquo patente aut valle speciosa, ubi gregi suo pascua quærunt ac inveniunt, tentorium levi manu contra aëris injurias exstruunt, idque,

 si

sine insigni doctorum voluptate editum p. 248. & adde JOH. LUNDII Jüdische Heiligthümer p. 1. CARL SIGONIUM *de republica Ebræorum* L. II. Cap. III. p. 98. HERM. WITSII *Miscellanea S.* L. II. Disp. I. cum aliis Judaicarum antiquitatum scriptoribus.

l) Quas invenies in GERHARDI *Loc. Theol. V. T. Loc. de Ecclesia* §. 29. p. 602.

m) Quia Dii Deæque Gentilium non minus quam verus Deus sua tabernacula & fana habere solebant, videantur, quæ JOH. BRAUNIUS *in Selectis Sacris* Cap. X. p. 497. de tabernaculo Molochi, eoque portatili docte annotavit.

n) Conferendus hic imprimis est Magnus Lipsiensium Theologus SALOM. DEYLINGIUS *in Observationibus Sacris* P. III. p. 21. seqq.

o) De hoc רֹעִי etymologice est observandum, quod sit aut participium *Benoni* vel substantivum inde factum pro רֹעֶה per commutationem τῆ ה & י tanquam literarum facile permutabilium & frequentissime in hebræo permutatarum. Sic ABARBANEL *& alii Rabbini h. l.* De hac literarum אהוי commutatione diffuse tractantem evolve WASMUTHIUM *Hebraismo restituto* Reg. XXXI.

ſi locum mutare neceſſe habent, brevi tempore deſtruere aut in alium locum transferre poſſunt. Ejusmodi tentorium non ſolum noſtræ terræ opiliones ad hunc usque diem, ex aſſeribus conſtructum, duabus vel tribus rotis imponunt, & ſingulis fere noctibus in alium locum provehunt, ſed imprimis quoque *Arabes* & *Tartari* hodierni eo modo habitare ſolent, qui per omnem vitam in tentoriis ex pilis caprarum atque camelorum factis commorantur, & pro infamibus eos habent, qui in Domibus vel unam noctem dormiunt. Componunt autem hæc ſua tentoria, quoties victus imminuitur, quod plerumque XV. die vel quocunque ad ſummum menſe fieri ſolet. Tum alia loca petunt, ibique tentoria ponunt; quod æſtivo tempore ſit in collibus, ſemper ſeptentrionem verſus procedentes, & hyeme redeuntes, iterum auſtrum verſus Cæſaream Palæſtinæ verſus montemque Carmel petentes. p) Ejusmodi tabernaculo nunc Hiskias corpus vel vitam ſuam comparat, dicitque tranſportatam eſſe eam more tabernaculi paſtoritii. Quemadmodum enim jam dictæ gentes aut paſtores ſæpe nolentes volentes & poſt breviſſimi temporis moram locum mutant; ſic vita ſibi decedendum eſſe poſt tam breve ævum ægre fert Poëta. Nec deſunt aliæ rationes, ex quibus vita corpusque hominum tentorio comparari poſſit; tum ratione conſtitutionis, ſicut enim tabernaculum ex rebus viliſſimis conſtat; ita homo pulvis eſt, & in pulverem aliquando redibit. GEN. III. 19. tum ratione convolutionis; ſicuti tentoria

p) Egregie hujus gentis mores & imprimis tentoria deſcripſit, BOCHARTVS *Hierozoic.* L. I. C. 3. item de la ROQVE Beſchreibung der Reiſe nach Paläſtina, qui libellus ex gallico idiomate in Germanicum translatus eſt Lipſ. 1740. O. DAPPER *in Itiner. Aſiat.* p. 413. & THEVENOTIVS *in itiner. belgice verſo* P. I. L. II. C. 28. Præterea ad hæc tentoria etiam pertinebant Tuguria Maurorum *Mapalia* & *Magalia* dicta, de quibus peculiarem exercitationem An. MDCCXXXVI. conſcripſit ſupra laudatus JOH. PHIL. CASSELIVS.

toria primo in amœnissimo loco exstruunt, qui vero mox marcessit; ita vitæ initium delectat, in eo enim ætas cum omnibus animi & corporis viribus florent, crescente autem ætate decrescunt vires, donec omnes experimur, quæ vox illa clamabat; *omnis caro gramen, & omnis sanctitas ejus sicut flos agri: exaruit gramen, decidit flos.* ES. XL. 6.7. tum denique ratione destructionis; sicuti tabernacula tandem multis tempestatibus exposita corruunt, ita vita suo tempore vi marborum & annorum fracta collabascit, teste ipso Hiskia jam moribundo. q) Tandem, quod huc vel maxime ex mente Hiskiæ pertinet, & e vi vocum נגלה & נסע fluit, ut supra monitum, ob vim juvenibus ac viris morituris per hanc tabernaculi destructionem adhibitam. Nam etiam levissima pastorum tabernacula ita tamen paxillis sunt firmata, ut ventis ingruentibus resistere possint, & proinde, ubi refigenda sunt, vi adhibita ad paxillos humo evellendos opus habent.

§. XXII.

Alteram similitudinem desumit Hiskias a præcisa textoris tela, dicens: קִפַּדְתִּי כָאֹרֵג חַיַּי *præcidi ut textor vitam meam.* Quod ergo §. XX. דור appellaverat, jam vitam appellitat, per ἰσοδυναμίαν sive ἐπεξήγησιν, cum res eadem diversis vocibus & Phrasibus ob majorem vel elegantiam vel emphasin vel utramque exprimitur, more sacris literis frequentissimo; unde apparet, confirmari hinc, quod supra fine §. XX. affirmatum fuit, דור vitam esse; vitam scilicet naturalem, quæ, quid sit, cum inter omnes constet, nihil attinet dicere. Attentenda potius est aptissima illa & concinna assimulatio, qua rex istam vitam suam comparat telæ textoris repente & violenter præcisæ. Alludi hac re ad fabulas

q) Vide BINCHII *Mellificium Theologicum* L. II. p. 269.

las illas de *Parcis* omnium ore tritas, multi r) credunt. Fingunt nempe *Parcarum* per antiphrasin sic dictarum, eo quod nemini parcant, tres, & *Domicillæ* sorores esse, quarum una tenebat colum, & nebat, altera filum volvebat, tertia illud rumpebat, & istæ *Clotho*, *Lachesis* & *Atropos* vocabantur. s) Sed fateor, salva tantorum virorum auctoritate hanc mihi rationem non probari. Vir enim θεόπνευστος sine dubio hæc dum a spritu sancto actus scripsit, de nugis illis gentilibus non cogitavit, &, quod caput rei est, ipse τὸν אוֹרֵג *textorem* appellat, non fila nentem, qualis *Parca* fingitur. Quanquam hoc τοῖς LXX. in mente fuisse videri queat, qui, ὡς ἱστὸς τὸ πνεῦμα μου παρ' ἐμοὶ ἐγένετο, ἐρίθου ἐγγιζούσης ἐκτεμεῖν, tanquam *tela spiritus meos*, mea quidem opinione, erat, quando lanifica ad illam appropinquat, ad illam resecandam. Sed nos hic ex fontibus, non ex versionibus judicamus. Potius non est dubitandum, quin ex παλαιῷ λόγῳ & patrum antiquiorum more hæc Hiskiæ similitudo orta sit. Ita enim morem illorum constat fuisse, ut in tradendis Mysteriis συγκαταβάσει uterentur, & liberis suis res maximas obviis & familiarissimis similitudinibus explicarent. Deus igitur ducit hoc vitæ nostræ stamen, annosque nobis net pro arbitrio, & succidit, cum visum est, non opinantibus. Præterea multa alia sunt, ob quæ inter telam tamen textoris & vitam humanam varia tertia comparationis ostendi possunt. t) Præsertim, quemadmodum tela alia longa est, alia brevis; alia cito alia tarde rescinditur, prout textori placet ac necessi-

r) v. gr. JOH. HEINR. VRSINVS *in Analectis Sacris* p. 226. CORNEL. A LAPIDE *l. c.* p. 316. Imprimis multa docte de his scripsit & collegit *P. August. de* QVIROS *in Comment. ad h. l.* p. 127. seqq.

s) ALBRICVS *de imagine Deor.* & antiquissimum hoc fuisse commentum ex HOMERO constat, vide NATALEM COMITEM L. III. *Mytholog.* Cap. 6.

t) Invenies illa in SIBELII *Historia Hiskiæ* p. 950. & confer quæ de *texendi* apud veteres ratione habet SVICERVS *in Thesauro Eccles.* P. II. p. 1521.

cessitas requirit, ita vita quorundam longior est, quando v. g. Abrahamus vitæ suæ telam pertexuit anno tandem centesimo septuagesimo quinto. GENES. XXV. 7. Isaacus anno centesimo octogesimo GENES. XXXV. 28. Jacobus anno centesimo quadragesimo septimo, GENES. XLVII. 28. aliorum brevior; sic enim ipse Hiskias noster vitæ suæ telam ad annum tantummodo quinquagesimum quartum perduxit; infantis Davidis tela septimo a nativitate die rescissa est. II. SAM. XII. 18. Filia Jairi sub ipsum fere ortum telam vitæ suæ præcidit. MATH. IX. 18. u) Quemadmodum tela textori sæpe citra mentem & voluntatem rumpitur; ita nos omnes fugit, quantillum telæ pertexendæ nobis restet. Dives ille quam longissime se vitæ telam protracturum sperabat, ast illa ipsa nocte rescindebatur, LVC. XII. 20. x) Idem experiebatur Belsazerus ille rex Babyloniæ inter splendidissimum suum epulum. DAN. V. 3. Et hodienum persæpe inter poculum & potum tela mortalium secatur, juxta vulgare illud: multa cadunt inter calicem supremaque labra i. e. antequam calicem labris admoveas mors sæpe intercedere solet. y) Quemadmodum textor telam abso-

u) Quanquam de morte hujus filiolæ, an reapse illa subsecuta vel proxima tantum fuerit? inter se adhuc disputant Interpretes, interim vide OLEARII *Observat. ad Math.* p. 266. seqq. NORTONVM KNATCHBVLLVM *ad hunc Math. locum* & KVHNIVM *in Pentade II.* p. 8. Celeb. JOH. CHRISTOPH. WOLFIVS *in curis Philol. ad h. l.* p. 169. patrem cum Christo loquentem istam mortem conjecturasse tantum putat, ac si Germanice diceres: Meine Tochter wird izo gestorben seyn.

x) Et quod vita instar telæ citra mentem nobis abrumpatur, idem probat exemplum divitis, cui dicitur, ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ, quod autem αἰτεῖν poscere a valente ἀπαιτεῖν a nolente inferat, observavit CASAVBONVS *ad Theophrasti Characteres* p. 292. & approbavit AROWSMITHIVS *in Tacticis sacris* p. 53. & GATACKERVS *ad Antoninum* p. 180.

y) Cujus adagii originem ex *Ancæi* fabula deductam ostendit ERASMVS *in adagiis*, & quidem in *Opere majori* p. 339. ubi plura huc facientia.

absolutam & pertextam praecidit; ita Deus emenso vitae currriculo vita nos decedere jubet. z) Ast se ipsum vitam sibi praecidere Hiskias hic affirmat? loquitur enim de se in prima persona קִפַּדְתִּי *incidi ego?* Respondent interpretes: utrumque simul consistere posse. Deus nempe vitam tollit, ubi terminus fixus effluxit; nam ille dicit: *Revertimini filii homines.* PSALM. XC. 3. & JOBUS Deum Dominum vitae ac mortis ita alloquitur: *Definiti sunt dies hominis, numerus mensium est apud Te, statuta ejus fecisti, & non transgredietur.* *Cap.* XIV. 5. & nihilo secius rex noster asserere potest, quod ipse vitam praecidat; non quidem ut αὐτόχειρες faciunt, qui sibi ipsis vario modo variasque ob causas vitam adimunt, utpote quod crimen de rege tam pio tamque sancto vix ac ne vix cogitari potest, a) sed aut, interprete VITRINGA in voce קִפַּדְתִּי formae *Piel* latet significatio formae *Hiphil*, & verba vertenda: *feci ut inciderit tanquam textor vitam meam*, ita, ut consideret mortem Hiskias tanquam peccati poenam, & tacite se ipsum accuset, qui per commissa peccata Deo causam dederit abbreviandae vitae suae; *etenim per peccatum mors ingressa est in mundum.* ROM. V. 12. & quia omnes in peccato nascimur, omnes etiam morti sumus obnoxii. Rex igitur hic communem reatum fatetur, & quamvis mortem non horreat, quatenus

z) Atque ita τὸ אוֹרֵג de textore accipiunt interpretes, quos vidi, omnes & contextus confirmat propter verbum כְּבַר additum. Facere tamen non possum quin JARCHIUM ab illis discedere hic subjiciam. Is enim de fluvio אוֹרֵג dicto, rapidissime fluente exponit, &, uti ille fluvius intra suas ripas velocissimo fluxu decurrat; ita Hiskiam suae vitae eandem rapiditatem & fluxus celeritatem imminere conqueri, ait. Videatur ille ex *versione Breithaupti* p. 218. *cum illius notis.*

a) Interim causas, modum, exempla & turpitudinem hujus autophoniae vide in JOH. FRANC. BUDDEI *Institut. Theol. moral.* Cap. III. Sect. III. p. 668. JOH. ADAMI *Tract. de autochiria*, JOH. HOORNBECKII *Theologia practica* L. III. C. I. p. 240. BENEDICT. PICTET Christl. Sitten-Lehre p. 105.

tenus credentibus per promiſſum redemtorem lætus tranſitus eſt ex hac miſeriarum valle ad vitam æternam, cruciatur tamen eadem, quod manifeſta indicia iræ Dei habebat adverſus peccatum, quo gravabatur. Ita quidem eſt, ut quo graviora ſunt hominum delicta, eo citius mortem ſibi accelerent. Faciunt hoc *viri ſanguinum, & homicidæ*, qui, ut Pſaltes ait, PSALM. LV. 24. *non dimidiant dies ſuos.* Qui item parentibus debitum honorem denegant aut eosdem contra naturæ leges violant, EXOD. XX. 12. imprimis, qui gulæ & crapulæ dediti ad mortem ſcientes volentes ruunt. Quis enim neſcit, ebrioſos ſibi ipſis non morborum modo capitalium, verum etiam jurgiorum, pugnarum atque cædium autores eſſe? Hinc SALOMO: *Cui eſt væ, cui dolor, cui rixæ, cui querelæ, cui vulnera gratis, cui rubor oculorum? Iis, qui commorantur apud vinum, qui veniunt ad explorandum vinum.* PROV. XXIII. 29. 30. Eadem eſt eorum conditio, qui vagis libidinibus indulgent, qui & morbos fœdos ſibi ipſis conciliant, & ſæpe a maritis aut parentibus eorum crudeliter jugulantur, quorum uxores aut filios conſtuprant. Licet vero Hiskias noſter adeo enormium ſcelerum ſibi non eſſet conſcius, bene tamen ſciebat, ſe peccatorem eſſe, & varias ſibi adhuc adhærere infirmitates, quibus Deum offenderit atque commoverit, ut iratus jam vellet vitam præcidere. Quaſi juxta proverbium profiteatur hiſce: *hanc telam ipſe mihi exorſus ſum*, ut mors mihi ſoli imputanda ſit; peccata mea culter textorius ſunt, quo vita mea præciditur. Et hæc eſt quidem VITRINGAE & aliorum optimorum interpretum ſententia; a qua uti ego non quidem ſeceſſionem facio, ita tamen non video, quomodo Hiskias de hoc peculiari mortis ſuæ genere dicere potuerit, ſe ſibi ob peccata ſua telam abſcindere. Nam etiam ſenes debitum

naturæ in ætate decrepita persolventes, sibi ob peccata vitam præscindunt, cum mors omni tempore & omnium mortalium sit stipendium peccati. Hinc velim expendi quid de JARCHII *ad h. l.* sententia statuendum sit? Sic enim ille ad τὸ קפרתי ait, sensum esse: הָיִיתִי סָבוּר *eram* (in isto meo morbo) *plane persuasus*, nunc abscissum iri mihi vitæ telam & ego intra mentem meam, & meo quidem judicio mihi præscindebam vitam. **Ich begab mich in meinen Herzen meines Lebens.** Et ita probabiliter LXX. supra allegati, τὸ πνεῦμα μȣ, *vita mea* παρ' ἐμοὶ *meo judicio, mea opinione*, ἐγένετο ὡς ἱςὸς *similis erat telæ &c.* b) Idem affirmandum est de שויתי v. 13. *Constitueram mihi* (vitæ meæ terminum) *usque ad vesperam* i. e. putabam prorsus, me ad summum circa vesperam adhuc fore superstitem, & tunc certo vivis excessurum.

§. XXIII.

Quod antecedente membro effatus fuit Hiskias per metaphoram, *abscidi ut textor*, nunc ulterius explicat per inceptæ metaphoræ continuationem & quod istud קפרתי sit, dilucidat his verbis: מִדַּלָּה יְבַצְּעֵנִי מִיּוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי i. e. *a stamine abscindit me, a die usque ad noctem consummabis me.* Bimembris itaque est hæc locutio regia. Primo enim ingemiscit, quod a stamine Dei manu abscindatur, utiturque verbo דַּלָּה quod multis admodum versionibus pariter ac interpretationibus ansam dedit. Cum enim alii a דָּלַל quod est, *attenuatus, exhaustus fuit*, unde דַּל *tenuis & exhaustus viribus* facultatibusve ac pauper, item *æger*, alii a דָּלָה *elevavit* vel *in altum extraxit* nostrum דַּלָּה derivent; dicunt illi, τὸ דַּלָּה idem esse ac מַחֲלָה *morbum*; & *sensum esse:* (cogitabam ac metuebam) *per morbum* (huncce meum tam perti-

b) Vide JARCHIVM *ex versione Breithauptii* p. 218.

pertinacem) Deum eſſe me exciſurum, & ita conſumturum, ut ex illo mihi moriundum foret; & ita quidem conſumturum atque finiturum abſciſſurumque (habito nempe reſpectu ad τὸ תְּשְׁלִימֵנִי quod in fine hujus commatis extat) uti ſolet textor, cum abſolvit aulæum ſeu texturam ſuam. Qui autem a דָּלָה *elevavit*, deducunt, hinc eſſe, ajunt, noſtrum דַּלָּה *faſtigium*, & inſtitui ab Hiskia comparationem ab arboribus deſumtam, ſenſumque eſſe: Quemadmodum arbores ramis ſuis truncantur, a ſummo cacumine facto initio, ut tandem totæ radicitus exſcindantur; ita mecum egit Deus. Nam dum ætas mea jam ad ſuum faſtigium ſive cacumen aſcendit, i. e. cum eſſem in vigore ætatis, & ad annum quadrageſimum appropinquarem, quo elapſo demum deficere incipiunt homines, ecce! hoc morbo immiſſo, ceu ſecuri aut falce correpta, ſubito me truncare coepit Dominus.c) Alii iſtud דַּלָּה per *licia* exponunt, quæ fila ſunt tenuia, quibus explicantur ſtamina, quum texitur tela, & quæ jugo textor circumvoluit, nec, cum reliqua tela propter ſtaminis reſidui brevitatem percurrere poteſt, ac propterea, finita textura, reſecare ab ea ſolet. Quaſi ergo Hiskias dicere voluiſſet: quemadmodum textor telam abſolutam atque pertextam a liciis & jugo reſecat; ita, cum pertexuerim vitam meam, jam advenit tempus, quo Deus a liciis ſeu peniculamento ſuo diſſecturus eſt vitæ meæ telam, i. e. finem illi impoſiturus. Cum illis prioribus verſio LUTHERI facit, quam multi recentiorum retinere

c) Et hi ſequuntur auctorem JARCHIUM qui tum ad auctoritatem *Jonathanis*, interpretis Chaldæi provocat, cujus hæc eſt paraphraſis: *a gloria* (ſeu ſublimitate) *regni mei ego migravi*, i. e. exiſtimaveram, quod tu, o Deus, me exciſurus eſſes ab omni gloria mea; tum locum parallelum ex CANT. VII. 8. citat, ubi דַּלָּה *eſt cincinnus ſive plicatura capitis*, quia extollitur vel elevatur ſuper caput. Vide JARCHIUM *cum verſione & notis Breithaupti*, & quidem ſuper *Eſa*. p. 218. & *ſuper Cantic*. p. 974. & 975.

nere amant: Du saugest mich dürre aus; τὸ דַּלָּה de vi ac acerbitate morbi explicantes, quo universas corporis vires confici & exhauriri queratur Hiskias. d) Quanquam autem omnes istas explicationes facile admitti posse judicet B. SPENERVS e) nos tamen illis adjungere malumus, quibus cum VITRINGA דַּלָּה *peniculum* vel peniculamentum videtur, quod sunt tenuia fila, quæ in extrema parte relinquuntur, & unde textura incipit. Vt itaque animus regis fuisse videatur: sibi vitam rescindi, cum florente ætate, & liberatione ab Assyriis jam modo facta hanc telam vix exorsus fuerit, f) & feliciorem vitam agere speraverit, sicuti textor, cum telam tantum texere incepit, eam mox rescindit, velut ab ipsis peniculis & panno. Sic enim metaphora *anteced.* §. incepta bene continuatur; & optime cohærent inter se rescissio liciarum & abscissio telæ. His quoque respondet adjecta vox יְבַצְּעֵנִי, cujus radix בָּצַע diversas notiones involvit. Prima earum est *secare*, *abscindere*, & hanc in præsenti loco nostram facimus; altera est, *lucrari* cum alicujus injuria, & metaphorice avaritiæ & quæstui sordido inhiare; & hanc eligunt, qui versionem LVTHERI sequuntur: Du saugest mich aus; notum enim est, Germanis de avarorum tanquam hirundinum & sanguisugorum, immodica nummos extorquendi cupidine ac siti illud aussaugen in usu esse; in cujus margine quoque monetur, petitam esse metaphoram ab avaris, qui injustis usuris homines exsugunt. g) Cæ-

d) Multas de hac re opiniones lege apud POLVM l. c. p. 350. JAC. RAVPIVM *in Bibliotheca portatili* L. III. P. IV. p. 322. & VITRINGAM l. c. p. 338.

e) In ejus Leichen-Predigten P. III. dicens: Man nehme eine Erklärung, welche man will, so gehet es alles dahin, es sey sein Leben zur Neige.

f) Ita *Vulgata*: dum adhuc *ordirer*, *succidit me*.

g) Durum quidem videtur JOH. GEORG. LEIGHIO in *Comment. ad h. l. not.* (*) p. 1237. justo & sancto Deo prædicatum aliquod tribuere, quod inhonestam plerumque lucrandi

Cœteras τȣ̃ בָּצַע significationes prætermittimus, utpote quæ huc prorsus nihil faciunt, nisi quod COCCEJUS cum ROBERTSONIO h) etiam per *vulnerari* efferant, quia per avaritiam & injustum quæstum homo non secus ac gladio vulneratur. Atque adeo Hiskias hoc sermone vanitatem & velocitatem vitæ suæ deplorat, id quod etiam per alterum membrum ulterius explanat, *a Die usque ad noctem consummabis me.* Dirigit hisce rex pius orationem suam ad Deum; de quo in antecedentibus etiam recissionem a liciis dixerat, mutatque personam i) more Poëtarum, & elegantiæ causa. Tu bone Deus a die ad vesperam absolves me; quod quidam ad significationem vocis שלום referentes vertunt: **du bringest mich zum Frieden,** sed sine dubio contra Hiskiæ mentem & contextum. k) Licet enim pii omnino in pace requi-

di rationem connotat. Verum enim vero, id impedimento non foret, si modo cæteræ contextus circumstanstiæ hunc significatum permitterent; nam descendens inde nomen substantivum de Deo expresse dicitur PSALM. XXX. 10. *quid lucri erit Tibi in sanguine meo, si descendero in foveam?* Quae verba B. GEIERUS *l. c.* p. 455. Etiamsi me prorsus libidini hostium, prout ipsi anhelant, permitteres, meumque impune sanguinem ac vitam ab ipsis profundi patereris, nullum tamen prorsus exinde commodum ad te emanaret. Non enim Tu exinde vel felicior vel gloriosior evaderes, non tam dareris ab hostibus his impiis, nec etiam pulvis meus te celebraret. Confer GUSSETIUM *l. c.* p. 255. Ita & : *seduxit, induravit, excœcavit, jussit,* ut Simei Davidi male precetur, & alia plura, Deo indignissima de eo frequenter usurpantur; sed ita explicanda sunt, ut cum honore ac sanctitate ejus stare possint, juxta illam diligentissime observandam in talium locorum Interpretatione θεοπρέπειαν.

h) *In Lexicis* ad vocem בָּצַע.

i) De qua personarum enallage in libris codicis sacri metricis, aliisque textibus propheticis frequentissima, eaque observatu inter explicandum summe necessaria, atque ad tollendas multorum locorum obscuritates utilissima videri poterit GLASSIUS *Philol. S.* Lib. III. Tract. 3. canon. 50. p. m. 898. & *iterum* Lib. IV. Tract. 2. Observat. 16. & 17. p. m. 1235. seqq.

k) Sequentes forte quodammodo ABEN-ESRAM, e cujus sententia morbus Hiskiæ gravior noctu, tolerabilior interdiu erat, quasi Hiskias diceret: a die usque ad noctem facis mihi pacem, quia fuerit illi pax & requies a morbi vehementia a mane usque ad noctem, quasi faceret secum pacem per diem, bellum autem nocte; in *bibliis Buxtorffianis ad h. l.* Vt adeo, quod illis est **zum Friede bringen,** ABEN-ESRÆ sit, **des Tages über in Friede und Ruhe lassen.**

quiescant, nam propter malum colligitur justus, intrat pacem, quiescunt super cubilibus suis, ambulans in rectitudine sua ES. LVII. I. 2. Hiskias tamen jam lamentationibus plenus non videtur gaudio illo spirituali perfusus fuisse, ex quo sensus pacis æternæ, ad quam per mortem transiturus esset, oriretur. Versabatur enim in statu summæ tentationis & ærumnarum e mortis metu subnatarum, deque instanti vitæ abbreviatione conquerebatur. Sensus itaque potius est; si ita pergas o Domine! non usque ad noctem durare potero, sed unus dies ad me perdendum sufficiet. Itaque cum crepusculum attigissem, nec vis morbi remitteret, rursus horas vitæ meæ supputans vix me auroram visurum arbitrabar. Testantur ergo hæc Hiskiæ verba de maxima vitæ incertitudine, in qua tunc versabatur; ut non immerito videri potuerit in pectore habuisse tunc, quod post illum SIRACIDES: *Cum absolverit homo, tunc incipit, & cum desierit, tunc dubitabit. Cap.* XVIII. 6. Refert ARISTOTELES l) circa flumen Hypanim, qui prope Thraciam in mare defluit, quædam dari animalia, quæ unico dumtaxat die vivunt; & Medicis herba nota est *Solstitialis* dicta PLAVTO m) aliis, *ephemera*, quæ mane crescit, vesperi vero arescit, adeoque unum diem perdurans. His vitam suam esse similem vult Hiskias, quam die usque ad noctem absolutum iri metuat. Hoc certe est, quod post Hiskiam n) cecinit SENECA:

Nemo tam divos habuit faventes
Crastinum ut possit sibi polliceri:
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Et

l) Citante CICERONE *I. Tuscul. Opp. editionis Lugdunensis* 1588. P. IV. p. 186. sunt autem hæc opera ARISTOTELIS *in historia animalium* L. V. C. 19. *sub finem Opp. T. II. p. 212. edit. Paris. 1654.*

m) *In Pseudolo. Act. I. Scen. I. 36.* cum notis TAUBMANNI p. 957.

n) *In Thyest.*

Et congruenter HORATIVS o)

Eheu fugaces Postume, Posthume,
Labuntur anni.

§. XXIV.

Pervenimus nunc ad aliam, quæ adhuc restat, terroris regii causam, nempe repræsentationem Dei in animo illius horribilem. Verba ejus hæc sunt v. 13. שִׁוִּיתִי עַד־בֹּקֶר כָּאֲרִי כֵּן יְשַׁבֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי מִיּוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי׃ Quæ PAGNINVS ita: *tunc posui* (vitam meam) *usque ad mane veluti Leo, sic contrivit omnia ossa mea, a die usque ad noctem consummabis me.* Sed hæc sunt a fontibus, & imprimis ab accentuatione paulo remotiora. Hinc secessione ab illo tantisper facta, verba paulo curatius expendemus, utpote in quibus Hiskias tum repræsentationem Dei ipsam, tum ejus principium cognoscendi, seu unde cognoverit Deum erga se adeo severum? indicat. Prius nobis tradit dicens שויתי עד בקר כארי, quæ verba iterum variam patiuntur explicationem. Sancti Patres potissimum HIERONYMVS, & quem VATABLVS cum aliis secuti sunt, ita reddunt: *sperabam usque ad mane: sicut leo fregit omnia ossa mea*; sine dubio, quia in codice suo קויתי i. e. *speravi* pro שויתי, quod est proprie *æquari, adæquari*, & in *Piel* etiam ex Chaldaismo valet, *ponere* ac *proponere* p) legerunt; quasi rex dixisset: Cum viderem me evasisse illum diem, de quo dixi, *de mane usque ad vesperam finies me, commate præcedente v.* 12. meque ad vesperam pervenisse; sperabam, & statuebam me victurum adhuc ab illa vespera usque ad mane postridie

o) *L. II. Od.* 14.

p) Vide ROBERTSONIVM *l. c.* & COCCEJVM *in Lexico ad h. v.*

ridie illius diei. Contextus enim, ait VATABLVS, docet, Hiskiam laborasse hac peste duos dies, alterum naturalem, alterum artificialem. Secundo die venisse ad eum Esaiam, denunciantem ei mortem, mox flevisse regem, & impetravisse vitam, atque eadem die fuisse sanatum. Sensum ergo esse: Cum vespere & nocte essem in bona spe sanitatis recuperandæ, mane desperare cœpi, tum enim plane dejecit & vicit me morbus, instar leonis omnes vires depascens. q) *Paraphrastes Chaldæus* ita ea exposuit. *Rugiebam usque ad mane* r) *sicut leo, qui rugit, & confringit ossa animalis, sic confracta sunt præ dolore omnia ossa mea.* VITRINGA s) hæc ita vertit: *Composui patienter animum meum usque ad matutinum; sed ipsa illa nocte tanquam leo confringebat omnia ossa mea*: Sed etiam præter accentuationis regulas. Nos, observato accentu *Sakephkatono* in כָּאֲרִי t) verbis istis hunc

q) Ejusmodi mentis est CORN. A LAPIDE *in Comment. ad h. l.* p. 317. PISCATOR, JVNIVS & TREMELLIVS cum aliis.

r) Substituit nempe hebraeo שִׁוִּיתִי verbum וְהָמִית quod etiam hebræis est, *rugire.*

s) *In Comment. ad h. l.* qui hic inter primos evolvendus est.

t) Quem pro more quidem VARENIVS *in Comment. ad h. l.* accurate attendit, interim tamen textum ipsum variis iisdemque incongruis supplementis oneravit. Verba ejus sunt sequentia: *Composui usque ad mane ossa mea* (dicere debuisset sine dubio pro *ossa mea*, *me* עַצְמִי) *sicut leo. Etenim ita, sicut leo, confregit ossa mea Deus*, h. e. *cogitabam me usque ad mane impavida fiducia compositurum ossa mea ad instar leonis famelici, magno animo ossa fame tumultuantia componentis usque ad prædam matutinam, ubi scilicet mihi persuadebam liberationem, sicuti leo famelicus prædam. Verum hoc consilium invertit Deus, & ipse mihi factus est in leonem, quique præ ingentibus cruciatibus tumultuantia ossa ego componere, & æquare laboravi, magis magisque confregit.* Habere hæc videtur VARENIVS magnam partem ex JARCHIO, cujus opinione Hiskias inquit: *Confirmabam me tanquam leo, & strenue tolerabam angores morbi; at, quanto magis me confirmabam* כֵּן *tanto magis* (morbus ille) *fregit me &c.* Nam τὸ כּ & כַּאֲשֶׁר sequente כֵּן ita ex hebraismo repetendum esse, nempe, *quanto magis, tanto magis* probat ex EXOD. I. 12. Videatur ille *ex versione & cum notis* BREITHAVPTII p. 219.

hunc ſenſum ineſſe credimus: Propoſui, ſeu animo concepi ad matutinum usque leonem quaſi, ita frangebat ſcilicet Deus omnia oſſa mea, i. e. cum per omnem noctem inſomnis in cubili meo collocatus eſſem, Deus non aliter ac leo mihi apparebat, idque ob oſſa per vim morbi vel quaſi fracta. **Gott iſt mir die gantze Nacht hindurch nicht anders vorgekommen biß an den frühen Morgen, als ein Löwe, der alle meine Gebeine zerbrochen.** Vel ob particulam כן adeo, **ſo gar hatte er mir meine Gebeine zerbrochen.** Et hunc ſenſum ſuadet non ſolum ipſa vox שוה, cujus ſignificatum *proponendi* jam modo ex Lexicographis vidimus, u) ſed & imprimis locus parallelus ex PSALM. XVI. 8. comprobare & ſufficienter confirmare poteſt, utpote in quo plene legitur, quod nos in noſtra exegeſi ſupplemus, ſcilicet: שויתי יהוה לנגדי תמיד *propoſui coram facie mea Jehovam* tanquam objectum perpetuo contemplandum, amandum, colendum; eum ſemper meditor, ut actionum mearum ſpectatorem, remuneratorem & defenſorem. x) Cui facile addi poſſet aliud, nempe PSALM. CXIX. 30. משפטיך שויתי, *judicia tua propono mihi*, quo indefeſſa verbi divini contemplatio inque memoria aſſervatio exprimitur. Quæ ergo Hiskias more poetico per ellipſin, vel etiam, ob ſummam animi ſui perturbationem, per ἀποσιώπησιν vel reticentiam, omittit, ſi ex loco citato ſuppleantur, plene quaſi ita dicit: שויתי עד הבקר יהוה לנגדי כארי *propoſui usque ad mane Dominum mihi veluti immanem leonem; adeo fregerat mihi oſſa mea.* Idem fere nobiscum ſentiunt LXX, qui noſtra verba tranſtule-

u) Quibus addi poteſt JUNIUS & TREMELLIUS imo quoque BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. III. C. V. §. 1. quamvis locum præſentem paulo aliter interpretatus fuerit.

x) GEIERUS *in Comment. ad h. l.*

ſtulerunt: *παρεδόθην ἕως πρωὶ ὡς λέοντι, οὕτως συνέτριψε πάντα τὰ ὀστᾶ μου*, *traditus ſum ad matutinum usque leoni quaſi, ſic contrivit omnia oſſa mea;* niſi quod activum שויתי paſſive expreſſerunt, *παρεδόθην* traditus ſum, ſcilicet irato Domino. Sed potuerunt forte legiſſe שֻׁוֵּיתִי in *Pual*. Imprimis autem iſte ſenſus GVSSETIO y) placet propter ordinem partium ſermonis diſtinctiorem. Nam ſic usque ad mane reſpondet iis, quæ dixit verſu antecedente, ſe ſcilicet cogitare interdiu, adjungitque nunc poſt illa, ea, quæ cogitat noctu. z)

§. XXV.

Principium cognoſcendi, unde Hiskias nempe intelligebat, Deum leonis inſtar in ſe ſævire, duplex eſt, quod nunc tandem, ubi ad finem properat tractatio, utrumque eſt penſitandum. Alterum eſt, *quia ipſi frangat oſſa omnia.* Referunt quidam iſta ad morbum, quo rex jam laborabat, qui tanta violentia in oſſa ægrotantis ſævierit, ut illa prorſus comminuere & conſummare videretur, qualem in modum *Jobus* quoque vim morborum depinxit, dicens *Cap.* XXXIII. 19. *Homo corripitur per dolorem ſuper cubili ſuo, & multitudo oſſium vehementi dolore. Conſumitur caro ejus ab aſpectu, & confringuntur oſſa ejus, quæ non videntur.* Alii anguſtias & conſcientiæ morſus leonem faciunt, qui Hiskiam hac nocte exoſſaverit; alii Deum ipſum intelligunt, a quo omnia iſta mala dependent, & recte quidem. Licet enim dubio procul morbus & alia incommoda, quæ jam experiebatur Noſter, neutiquam excludenda ſint, reſpi-

y) *In Lexico ad hunc vocem* p. 1599.

z) Conferas velim STARCKIVM *in notis ſelectis ad h. l.* & CARL LVDOV. HOHEISEL *in Obſervationibus ad Eſaiam* p. 235. imo DACHSELII *Biblia accentuata* p. 147.

respicit tamen imprimis Deum, sicuti in morbis ad Deum ipsum respiciendum est, qui illos immittit, non vero ad causas secundas, nisi similes esse velimus cani, qui, misso jaciente, in se lapidem jactum persequitur atque mordet. Hinc David, morbo afflictus, statim ad Deum oculos suos tollens, precabatur: *Jehovah, ne in ira Tua redarguas me, & in excandescentia Tua castiges me! Quia tela tua descenderunt in me, & descendit super me manus tua. Non est integritas in carne mea propter indignationem meam.* PSALM. XXXII. 2. 3. 4. Quin imo & in aliis scripturæ locis Deum *leoni* assimilari videbis. Sic apud eundem *Esaiam* Deus se fortissimum bellatorem esse pro populo suo indicans, sumit similitudinem a leone inquiens: *Quemadmodum rugit leo, & catulus leonis super prædam suam, contra quem conciebitur congregatio pastorum, sed a clamore eorum non reformidat, sic descendet Jehovah ad præliandum pro monte Zion Cap.* XXXI. 4. Et apud Hoseam similem in modum loquitur Jehovah: *Ego ut leo Ephraimo, & sicut leo juvenis domui Judæ, ego rapiam & ibo, auferam & non eripiens. Cap.* V. 14. Et Deus ἔνσαρκος, *Leo est de tribu Juda, victor mortis & inferorum.* APOCAL. V. 5. Nec immerito Deus sub hac figura nobis venit; fit potius illud commode partim propter majestatem & excellentiam. Leo rex est animantium, unde & nomen accipit. a) Ideo & jubam habet in capite, coronæ & diadematis instar. Deus est rex regum, & Dominorum Dominus, cui Dominatus & imperium competit in omnia mundi regna. *Domini*

est

a) Nam λεών græce *regem* significat. Vult istud ISIDORVS Lib. XII. Cap. II. sed dissentit SVICERVS in *Thesauro Eccles.* P. II. p. 228. & nomen leonis a λάω *video*, derivare mavult; quia leo est animal visus acerrimi; id quod facili negotio ad omniscientiam Dei applicari posset.

est terra & plenitudo ejus. PSALM. XXIV. 1. Partim propter robur & potentiam. Vis non aliter leoni peculiaris, quam vulpeculæ fraus. Hinc ISIDORUS *Leonum virtus est in pectore, firmitas in capite, animas eorum indicat frons & cauda.* Ideo & sacræ literæ leonem pronunciant fortissimum, PROV. XXX. 30. JUDIC. XIV. 18. NUMER. XXIII. 24. Sic Deus noster est *dominus fortis & Potens* PSALM. XXIV. 8. *mirabilis & fortis nimis* DAN. VII. 7. *excelsus in fortitudine.* JOB. XXXVI. 22. *fortitudo & decor indumentum ejus* PROV. XXXI. 25. Partim propter moderationem & clementiam. *Leonum circa hominem,* inquit ISIDORUS, *ea est natura, ut nisi læsi nequeant irasci, prostratis parcunt, captivos obvios repatriare permittunt, hominem non nisi in magna fame interimunt.* Quam leonum clementiam, licet miraculo divino, expertus est *Daniel* & *Andradus* b) *Deus parcit populo & habitaculo suo.* II. PARALIP. XXXVI. 18. *est misericors, clemens, patiens.* EXOD. XXXVI. 6. *Multus est ad ignoscendum.* ESA. LV. 5. *habet divitias bonitatis & patientiæ.* ROM. II. 4. Partim propter iram & furorem. Leonis sane ira non est levis, si excandescat, ideo leo *sævus* dicitur JUDIC. XIV. 5. *leo vastator.* JER. II. 30. *leo consumens* HOS. XIII. 8. Deus noster irascitur impiis, eosque multis pœnis affligit, ad quas certe pertinet, quod Hiskias jam sentiebat, ipseque profitebatur: *tanquam leo, ita franget omnia ossa mea.* i. e. vires, robur, quod in ossibus hominum est, & consequenter omnem vitam meam. Quemadmodum enim leo, capta præda, non carnes tantum exedit, sed ipsa quoque ossa dentibus conterit, & contrita exsugit; ita etiam Hiskias conqueritur, Deum per vim morbi penitissi-

b) De quo *Andrado* est apud GELLIUM L. V. C. 14.

nitissimas suas medullas confecisse, ut de vita crastinæ etiam diei omnem spem abjecerit. Et hinc omnino erat, cur Deum veluti crudelem leonem sibi fingeret, animoque conciperet Hiskias. c) Cognoscebat proinde rex æger, Deum sibi iratum esse, & leonis instar, inde, quod ossa ipsius per morbi vim frangebat. Accedebat denique alterum cognoscendi divinam in se sævitiam principium, nempe instans mortis periculum, addit enim, *a die usque ad noctem absoluturus es me.* Qui sermo, uti jam supra explicatus est, ita non sine emphasi eundem rex hoc loco repetit. Non solum enim hisce ad comminationem alludere videtur DEVTERONOM. XXVIII. 67. Sed loquitur etiam de altero die gravissimi laboris, qui secutus est noctem illam molestissimam, cujus proxime mentionem fecerat. d) Et ad sensum verborum quod attinet, hoc saltim addendum, esse ellipsin τȣ̃, *dixi*, sive *persuasum mihi erat:* nempe, cum mihi animo conciperem Deum, tanquam leonem, mihi ossa confringentem: tunc dicebam, & mente mea prorsus mihi erat confirmatum, Te, o Deus! intra tempus huncce diem noctemque intercedens, me plane esse confecturum. *Chaldæus* autem, & ex illo JARCHIVS videntur his verbis argumentum aliquod probans, quod Deus Hiskiæ leo factus sit, eique ossa frangat, invenisse, scilicet, quia tum die tum nocte ipsum ingentibus morbi doloribus conficiat. Hoc sensu: *Leo mihi es, nam nocte dieque me atteris,* & provocat JARCHIVS ad Hebraismum ex NVM. V. 3. *Amare usque ad fœminam,* i. e. tum mares tum fœminas lepro-

c) Confer WOLFG. FRANZII *Historiam animalium sacram* p. 62. seqq. MICH. BAVMANNI *analecta typica* p. 680. DAN. FESSELII *regnum Christi mysticum* p. 244.

d) Vide VITRINGAM & JOH. GEORG. LEIGHIVM *ll. cc.*

leprosas e castris ejici. Ita hoc loco a die usque ad noctem, i. e. noctu dieque sine ullo discrimine. e) Ex dictis ergo satis superque liquet, quibus terroribus & quam tristibus cogitationibus pii quoque appropinquante morte excrucientur! Concedat autem Deus nobis mortem, quæ sit in Domino & f) cum stamen vitæ nostræ sub cultro erit, propitius illud resecet! sic erit, ut per fidem in Christum omnes illius terrores cum Hiskia feliciter superare possimus, hoc unicum cum JEREMIA *Cap.* XVII. 17. a Deo precibus ardentissimis efflagitantes: *Ne tu modo mihi fias in terrorem, protectio mea Tu in die mali!* & sic beatissimus erit vitæ nostræ, quocunque nobis tempore, modo, loco obtinget,

F I N I S.

e) Vide illum ex INTERPRET. & *cum notis* BREITHAUPTII p.218.

f) Ita orat ABR. SCULTETUS *Conc. IV. in Es. XXXVIII.* p. 497.

INDEX

I. DICTORVM,

IN HAC TRACTATIONE EXPLICATORVM.

N   II. VOCVM

II. VOCUM

III. RERUM.

Coma

Mun-